# S. EUSEBII SOPHRONII HIERONYMI ECCLESIAE DOCTORIS COMMENTARIORUM IN ISAIAM PROPHETAM LIBRI DUODEVIGINTI.

## Pars 2

### (Cap. XXI.---Vers. 1.)

Onus deserti maris.

Nisi in consequentibus hujus capituli legerem: Babylon dilecta facta est mihi in miraculum. Et iterum: Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terra. Et supra: Ascende Elam, et obside Mede: dubitarem quod esset hoc Pondus, quod deserto mari imponitur: Perspicuum ergo est, quod desertum mare Babylon appellatur, Jeremia dicente ex persona Dei: Et desertum faciam mare ejus, et siccabo terram illius, et erit Babylon in tumulos arenarum (Jerem. LI, 36, 37). Mare autem propter multitudinem habitantium dicitur. Unde et supra Aegypti multitudo mari comparata est. Desertum faciet Dominus mare Aegypti. Quod autem Medi et Persae pugnaverint contra Babylonem, et subverterint eam, in supradicto Jeremia legimus: Acuite sagittas, implete pharetras. Suscitabit Dominus spiritum regum Medorum et contra Babylonem mens ejus, ut perdat eam, quoniam ultio Domini est, ultio Templi sui. Super muros Babylonis levate signum, augete custodiam, elevate custodes, praeparate insidias: quia cogitavit Dominus, et fecit quaecumque locutus est contra Babylonis habitatores. Et rursum: Levate signum in terra, clangite buccina in gentibus, sanctificate super eam gentes, annuntiate contra illam regibus Ararat, Menni, et Ascenez, numerate contra eam Tapsar, adducite equum

**quasi bruchum aculeatum. Sanctificate contra eam gentes, reges Mediae, duces ejus et universus magistratus ejus, cunctamque terram potestatis ejus. Et commovebitur terra, et turbabitur, quia vigilavit contra Babylonem cogitatio Domini, ut ponat terram Babylonis desertam, et inhabitabilem (Jerem. LI, 11, seqq.).**

## (Vers. I, 2.)

**Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit de terra horribili. Visio dura nuntiata est mihi.**

**Vox Babylonii populi timentis inducitur, sive ipsius Babylonis, quod audiat Medos et Elamitas contra se exercitum praeparare, et venire de solitudine, ponitque comparationis exemplum. Sicut, inquit, ab Africo vento vehemens tempestas venire consuevit: ita mihi de solitudine vastitas venit, de terra horribili, cujus ne nomen quidem audire possum absque formidine. Visio dura nuntiata est mihi: quid enim durius quam praesens captivitas?**

**Qui incredulus est, infideliter agit: et qui depopulator est, vastat.**

**Potest in Hebraeo ita legi: Qui caedis, caede; et qui vastas, vasta, ut ad ipsum Elamitem et Medum prophetiae vaticinium dirigatur, hortantis eum implere quod coepit, intrepidum ascendere, obsidere potentissimam civitatem. Sin autem sic legitur, ut transtulimus, quasi de persona tertia dicatur, qui incredulus est, infideliter agit: et qui depopulator est, vastat: cum superioribus copulandum est, in quibus sibi Babylon visionem duram praedicat nuntiatam.**

**Ascende Elam, obside Mede: omnem gemitum ejus cessare feci. Ne timeas, inquit, o Persa et Mede, Babylonis multitudinem, ne illius praeteritam potentiam**

reformides: omnem gemitum ejus ac pondus, quo te ante premere consueverat, cessare feci: seu quod nullus jam gemat et doleat pressus potentia Babylonis: seu quod tantis malis oppressa sit ipsa Babylon, ut ne gemitum quidem liberum habeat.

## (Vers. 3, 4.)

Propterea repleti sunt lumbi mei dolore: angustia possedit me, sicut angustia parientis: corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. Emarcuit cor meum, tenebrae obstupefecerunt me. Babylon, dilecta mea, posita est mihi in miraculum. Prophetae ideo obscuri sunt, quia personae in his plurimae commutantur.

Ergo et nunc vox Isaiae inducitur plangentis Babylonem spiritu prophetali, quod tanta mala super eam ventura sint, ut ipse qui narrat, timore superatus nequeat in verba prorumpere, videns tantae multitudinis sanguinem fundi: et misericordiae motus affectu (homo enim de hominibus loquitur) non minus doleat, quam mulier ululare in partu solet; sed conturbatus et trepidus, et in terram corruens, caligantibus oculis nesciat quid loquatur. Pro eo autem quod nos vertimus: Babylon, dilecta mea, in Hebraeo legitur, NESEPH ESCI; et est ipsum verbum quod in principio Babylonii Oneris posuimus, super montem caliginosum: pro caliginoso enim, seu tenebroso scriptum est Neseph. Proprieque haec urbs sic vocatur, propter altitudinem et erectum usque ad coelum superbiae verticem.

## (Vers. 5.)

Pone mensam, contemplare in specula comedentes et bibentes: surgite, principes, arripite clypeum.

Locus iste dupliciter accipitur: o Medi et Elamitae, quibus supra dixi: ascende Elam, obside Mede, sumite

cibum, futuro vos praelio praeparate, ne postquam dimicationis tempus advenerit, lassitudo vos retrahat. Cumque comederitis et biberitis, surgite, arma corripite, Babylonium debellate. Quodque ait, contemplare in specula, hoc sensu legitur: diligenter quae ventura sunt, prospice. Potest et sic intelligi: o Babylon, para Balthasar filio Evilmarodach nepoti Nabuchodonosor regi tuo mensam atque convivium, et vide quid post cibum eveniat, in quo scortis et concubinis in vasis Domini propinabit. O principes, qui cum rege accumbitis, Medos autem Persasque significat, surgite et ad interficiendum regem arma corripite. Hoc plenius in Danielis volumine discimus (Cap. V).

## (Vers. 6 seqq.)

Haec enim mihi dixit Dominus: vade et pone speculatorem, et quodcumque viderit, annuntiet. Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli. Et contemplatus est diligenter multo intuitu, clamavitque leo: super speculam Domini ego sum stans jugiter per diem, et super custodiam meam ego sum stans totis noctibus. Ecce iste venit ascensor vir bigae equitum, et respondit et dixit: cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terra. Tritura mea, et fili areae meae, quae audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis.

Causas reddit superioris formidinis, quare angustia possederit eum sicut parturientem, et corruerit audiens, et perterritus sit, ac tenebroso horrore circumdatus. Haec, inquit, dixit Dominus mihi: vade et constitue speculatorem, ut spiritu prophetali tibi futura praenuntiet; quem cum posuissem in speculam, vidit venientem bigam, et aurigam desuper, asinumque, et camelum currum trahere. Significat autem Cyrum Persarum regem atque Medorum, cum parvo et magno imperio venientem. Persae enim ante Cyrum ignobiles erant, et nullius inter

gentes loci habebantur: Medi semper potentissimi. Iste ergo unus ascensor, duarum gentium fultus exercitu, venit contra Babylonem: et speculator ille qui positus erat, ut ventura prospiceret, clamavit quasi leo, sive ipse propheta appellatur leo. Et quia dubium erat de persona speculatoris, qui Cyrum viderat ascendentem, ipse exponit manifestius, et ait: Super speculam Domini ego sum stans jugiter per diem, speculatorem Domini se esse pronuntians, qui semper positus in officio prophetali, et diebus ac noctibus Domini parens imperio, quodcumque jusserit loquitur. Quid igitur clamavit leo: Ecce iste venit ascensor vir bigae equitum: haud dubium quin Cyrus indicetur. Et respondit et dixit ipse leo qui supra clamaverat: Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terra. Vastante enim ascensore bigae, Babylon usque in aeternum deleta est, et Belis templum omniaque idola usque ad solum strata. Quod autem sequitur: Tritura mea, et fili areae meae, ad Jerusalem apostropham facit, et ad Templum quod in area Ornae situm est, dicitque ad eam: o Jerusalem, et popule fili Templi mei, non tibi videatur incredulum esse quod dixi: non mea enim verba sunt, sed Domini et per os meum illius verba resonarunt. Quidam putant, sed male, hoc non ad Jerusalem, sed ad Babylonem dici, de qua et supra Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum; et esse sensum: quae contrivisti me, eris et ipsa contrita, non meo sermone, sed Domini potestate, quae tibi haec ventura praenuntiat. Quid sibi autem voluerint in hoc loco LXX interpretes, ut pro leone, qui Hebraice dicitur ARIA, Uriam transtulerint, non satis intelligo, praesertim cum supradictus sacerdos Urias, qui vocatur in testimonium, aliis litteris scriptus sit.

## (Vers. 11, 12.)

Onus Duma. Ad me clamat ex Seir: custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? Et dixit custos, venit mane et nox: si quaeritis, quaerite, convertimini, venite.

Pro Duma, LXX Idumaeam ponunt. Est autem Duma non tota Idumaea provincia, sed quaedam ejus regio quae ad Austrum vergit, et ab urbe Palaestinae, quae hodie dicitur Eleutheropolis, viginti distat millibus: juxta quam sunt montes Seir, sumpto ab auctore nomine; Seir quippe interpretatur hispidus et pilosus, quod Esau fuit. In Abdia propheta plenius super hac gente a nobis disputatum est: in quo necesse fuit veterem historiam revolvere, et Ezechielis Jeremiaeque easdem in testimonium trahere Visiones, et maxime prophetiam contra montem Seir (Ezech. XXV et XXXV, Jerem. XLIX). Et illud de Psalmis: In Idumaeam extendam calceamentum meum. Et alibi: Tabernacula Idumaeorum et Ismahelitae, Moab, et Agareni, Gebal et Ammon, et Amalech (Ps. LIX, 10; Ps. LXXXII, 7, 8). Amos quoque inquit: Super tribus sceleribus Edom, et super quatuor non aversabor eum, eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, et violaverit misericordiam suam (Amos I, 11), sive, ut Symmachus transtulit, viscera sua, quod adversus cognatos populos ausus sit dimicare, et hostili hodio dissidere. Fuit autem regio Esau, in regione Duma, hoc est, in montibus Seir. Hanc ut metropolim, juxta ordinem superiorum Visionum, ab Assyriis, sive a Nabuchodonosor expugnatam esse credimus, memoremque pristini generis, quod de Abraham et Isaac sit stirpe generata, implorasse auxilium Dei, et necessitate cogente, illius clementiam flagitasse. Narrat ergo nunc Dominus: qui obsidetur in Seir, et ab hostibus cingitur, meum implorat auxilium, et dicit: o custos Israel, qui populum tuum tueris custodia sempiterna, et quasi in nocte, illis dormientibus, vigilas, ne hostis irrumpat; quare et nos qui de ejus semine sumus, non simili clementia protegis? Quibus ego custos vigilque respondeo, de quo scriptum est: Non dormitabit neque obdormiet qui custodit Israel (Ps. CXX, 4). Venit mane populo meo, et nox genti Idumaeorum; illis praebebo lucem, vos in tenebris derelinquam. Vel certe ita: venit lux nocte transacta; si meum invocatis auxilium, et estis de stirpe servi mei Abraham, nolite me tantum in

necessitatibus quaerere, sed toto ad me animo convertimini. Venite, et suscipiam poenitentes. Hoc juxta historiam dictum sit: caeterum propter similitudinem litterae, et ex eo quod RES et DALETH, non multum inter se discrepent, quidam Hebraeorum pro Duma, Romam legunt, volentes prophetiam contra regnum Romanum dirigi, frivola persuasione, qua semper in Idumaeae nomine Romanos existimant demonstrari: Duma autem interpretatur silentium.

## (Vers. 13 seqq.)

Onus in Arabia. In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dodanim. Occurrentes sitienti ferte aquam: qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. A facie enim gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis praelii. Quoniam haec dicit Dominus ad me: Adhuc in uno anno quasi in anno mercenarii: et auferetur omnis gloria Cedar, et reliquiae numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur: Dominus enim Deus Israel locutus est.

Quaerenti mihi et diu cum deliberatione tractanti quae esset Arabia, ad quam propheticus sermo dirigitur, utrum Moabitae, an Ammonitae, et Idumaei, cunctaeque aliae regiones, quae nunc Arabia nuncupantur, occasionem tribuit in hac eadem Visione quod sequitur: Auferetur omnis gloria Cedar, et reliquiae numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur (Isai. XXI, 16, 17), Ismaelitas debere intelligi. Liber Geneseos docet ex Ismaele Cedar et Agarenos, qui perverso nomine Saracenos vocantur, esse genitos. Hi per totam habitant solitudinem, de quibus puto et poetam dicere: Lateque vagantes Barcaei (Virg. Aeneid. IV); et supradictum volumen, Contra faciem omnium fratrum suorum habitabit (Gen. XVI, 12): eo quod latissima eremus ab India ad Mauritaniam usque tendatur, et Atlanticum Oceanum, quod puto Jeremiae titulum sonare:

Ad Cedar et ad regna Asor, quae percussit Nabuchodonosor rex Babylonis (Jer. XLIX, 28); statimque sequitur: Haec dicit Dominus, surgite et ascendite ad Cedar, et vastate filios Orientis: tabernacula eorum, et greges eorum capient, pelles eorum et omnia vasa, et camelos tollent sibi (Ibid., 29): et iterum: Inivit enim contra vos Nabuchodonosor rex Babylonis consilium, cogitavit adversus vos cogitationes. Surgite et ascendite ad gentem quietam, et confidenter habitantem, ait Dominus: non ostia, non vectes eis: soli habitant. Et erunt cameli eorum in direptionem, et multitudo jumentorum in praedam. Et dispergam eos in omnem ventum qui sunt attonsi in comam: et ex omni confinio eorum adducam interitum super eos, ait Dominus: eritque Asor habitaculum draconum deserta in sempiternum; non manebit ibi vir, nec incolet eam filius hominis (Ibid., 30 seqq.). Totum prophetiae testimonium de Jeremia posui, ut quae sit Cedar, indubitanter intelligas. Et considera quomodo Ismaelitarum, hoc est, Saracenorum proprie gentem descripserit, quia habitant in tentoriis: qui quas nox compulerit, sedes tenent: quibus armenta sunt, et pecora camelorumque greges: qui non habent ostia nec vectes: non enim versantur in urbibus, sed in solitudine habitant. Et hi ergo a Babyloniis deleti sunt, eo quod Asor civitatem, quae metropolis gentis illius in eremo fuit, usque ad solum subverterint: et tamen cum camelorum et ovium greges capti sunt, pellesque eorum atque tentoria sorte divisa: non omnis gentis illius significatur interitus, eo quod dromedariis camelis centum et amplius millia uno die per vastam solitudinem fugere soleant, Auferetur, inquit, omnis gloria Cedar: et imminuto sagittariorum numero, quia maxime pollent arte pugnandi: caeteri qui fugerint, remanebunt. Quia intelleximus quae sit Cedar, et quae Arabia, quaeque Asor, videamus Isaias propheta quid dicat: In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dodanim. Verbum ARAB, ut saepe jam diximus, et vesper, et Arabia, et corvus, et planities, et Occidens appellatur. Et pro eo quod nos juxta LXX transtulimus, dormietis,

potest interpretari, morabimini, sive habitabitis, hoc est --- quod Hebraice dicitur THALINU. DODANIM quoque in propinquos vertitur et cognatos. Itaque praedicitur nunc Judaeis, qui obsidionem Babyloniam effugere potuerint, et de totius provinciae vastitate ad eremum transire vicinam, quod habitaturi sint in solitudine Arabiae in itinere quod ducit ad fratres. Rursumque ad Ismaelitas sermo convertitur, et eos ad misericordiam cohortatur: currite, et lassis fratribus ac periclitantibus ardore sitis, obvii ferte aquas: tantus enim fervor est solis, ut nisi subveneritis, in solitudine pereant: et non solum aquas, sed etiam panem ferte fugientibus, ut quos confecit obsidio, vestra clementia relevet. Simulque reddit causam quare haec imperet fieri, dicens: fugerunt Babylonium gladium, fugerunt arcus Elamitarum, fugerunt imminens praelium. Nec despiciatis miseros: cito veniet et vestra captivitas. Quomodo enim velox mercenarii annus est, et omnem laborem brevem putat, dum ad desideratam mercedem perveniat: sic universa gloria filiorum Cedar auferetur a vobis, et sagittae vestrae conterentur, et parvus remanebit numerus pugnatorum. Quidam volunt ex eo quod dicitur, adhuc in uno anno, et auferetur omnis gloria Cedar, non Babyloniam captivitatem praedicari, de qua et Jeremias loquitur, sed Assyriorum, qui post unum annum vastationis Judaicae, Saracenos latissime persecuti sunt. Illum praeterea locum, in quo nos transtulimus: Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti: et quasi ex persona Domini imperativo modo legimus, in Hebraeo sic legi posse affirmant: Qui habitant terram Austri, cum panibus occurrerunt fugienti; ut cum Deus eis dixerit, occurrentes sitienti ferte aquam, illi inimica mente panes tulerint absque aquis, ut cibo augerent sitim.

## (Cap. XXII.---Vers. 1.)

Onus vallis Visionis.

LXX, licet non habeatur in Hebraeo, manifestius transtulerunt, verbum vallis Sion. Haec enim civitas seminarium prophetarum est, in qua exstructum Templum, et Visiones Domini multiplicatae sunt. Quia ergo inter caeteras gentes ponitur, et reputatur una de plurimis, nequaquam mons appellatur, juxta illud propheticum: Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob (Ps. LXXXVI, I); sed vallis, ex eo quod humiliata sit. Aliis verbis hoc ipsum Jeremias loquitur: quando accepit calicem plenum vini, et dat universis gentibus, ac novissime porrigit Jerusalem, ut bibat, et vomat, et ruat, et insaniat: significans a Babyloniis, et hanc esse vastandam (Jerem. XXV). Quod plenius Regum et Jeremiae narrat historia. Ex quo intelligimus omnium creatorem aequaliter esse Deum, et eodem cuncta dispensare judicio, juxta illud quod ipse loquitur per Amos: Numquid non ut filii Aethiopum vos estis mihi filii Israel? ait Dominus. Numquid non Israel ascendere feci de terra Aegypti, et Palaestinos de Cappadocia, et Syros de Cyrene? Ecce oculi Domini super regnum peccans (Amos IX, 7). Ne putarent Judaei idcirco se meritorum habere privilegium, quia educti essent de Aegypto, dicit etiam caeteras gentes ad alias terras suo imperio fuisse translatas.

Quidnam tibi quoque est, quia ascendisti et tu omnis in tecta, clamoris plena, urbs frequens, civitas exsultans?

Referebat mihi Hebraeus, praesentem Visionem non pertinere ad illud tempus, quo Nabuchodonosor Jerusalem cepit, et Sedechiam vinctum oculisque privatum duxit in Babylonem; sed ad Sennacherib tempora, quando Sobna Pontifex magnam partem prodidit civitatis, et tantum Sion, id est, arx et Templum, ac nobiles remanserunt, in exemplum Romanae urbis, quae irruentibus Gallis, patricios et florem juventutis in arce servavit. Nos autem possumus, et de Babylonia captivitate dicere: quamquam Eusebius omnia ad Christi

adventum referat, et putet Vespasiani Titique temporibus fuisse completa. Carpamus ergo singula, triplicem expositionem breviter attingentes. Quidnam tibi quoque est? quid habes, inquit, Sion, quod etiam tu ascendisti omnis in tecta? Quando dicit, etiam tu, ostendit quod caeteri prius ascenderint. Num et tu reputata es inter gentes, quae ab hostibus obsideris, et tecta conscendis plena ululatus et planctus miserabilium feminarum, urbs quondam regia?

## (Vers. 3.)

Interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui in bello. Cuncti principes tui fugerunt simul: dureque ligati sunt. Omnes qui inventi sunt, vincti sunt pariter: procul fugerunt.

Si ad Sennacherib tempora referas, quando ex parte capta est civitas, recte dicuntur non fuisse victi gladio, nec occisi in bello, sed proditione, aliis ex urbe fugientibus; aliis, quos hostis oppressit, vinculis alligatis. Sin autem ad Babyloniam captivitatem, quod et verius est: dicemus quod non pugna, sed obsidione superati sint. Quod si in adventu Christi, juxta Eusebium, tropologice intelligere volueris: dices eos interfectos non gladio, sed infidelitate, omnesque principes eorum recessisse a Deo, et peccatorum funibus alligatos, nec quemquam fuisse de Pharisaeis, qui non diaboli retibus alligatus sit.

## (Vers. 4.)

Propterea dixi, recedite a me, amare flebo: nolite incumbere, ut consolemini me super vastitatem filiae populi mei.

Si in vastitate Babylonis lacrymatur Propheta lugentis affectu, et dicit: Angustia possedit me, sicut

angustia parientis: corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem, emarcuit cor meum, tenebrae stupefecerunt me: Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum, quanto magis nunc in urbis suae ruina nullam accipere consolationem potest, totum se planctibus tradens!

## (Vers. 5.)

Dies enim interfectionis, et conculcationis, et fletuum Domino Deo exercituum in Valle visionis.

Reddit causas juxta triplicem intelligentiam, quare dixerit: Recedite a me, amare flebo; quia conculcata sit Sion, mons quondam visionum, et nunc vallis fletuum.

## (Vers. 6.)

Scrutans murum, et magnificus super montem: et Elam sumpsit pharetram, currum hominis equitis, et parietem nudavit clypeus.

Describitur Babylonis exercitus intrans urbem, templum occupans, et quadrigis per plateas superbus incedens. Quodque auratos postes, et marmorum crustis vestitos parietes, clypeus, qui alia solet tegere, nudaverit, eleganter in Hebraeo resonat, sensusque pulcherrimus est, quod scutum non protexerit quempiam, sed nudaverit: eo quod per robur militum omnes opes erutae sint. Sin autem Elamitae ponuntur in praelio, quae urbs Assyriorum est: non potest referri ad tempora Romanae subversionis, nisi forte cuncta allegorice interpretemur.

## (Vers. 7-9.)

Et erunt electae valles tuae plenae quadrigarum, et equites ponent sedes suas in porta. Et revelabitur operimentum Judae, et videbis in illa die armamentarium

domus saltus, et scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatae sunt.

Manifeste captivitatem describit, quae undecimo anno regis Sedechiae facta est, de qua et Jeremias loquitur: Ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus, et venient, et ponet unusquisque solium suum in introitu portarum Jerusalem, et super omnes muros ejus in circuitu (Jerem. I, 15). Quod ne putemus voce praedictum, et opere non expletum, idem Jeremias ait: Undecimo anno Sedechiae, mense quarto, quinta mensis, aperta est civitas, et ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, et sederunt in porta media (Jer. XXXIX, 2). Tunc ergo in circuitu civitatis Jerusalem, innumerabilis est fusus exercitus, et aperta sunt Sancta sanctorum, et armamentarium, quod nemore consitum erat, hostili populatione reseratum, et per cunctas urbis partes divisis muris hostis ingressus est.

## (Vers. 10, 11.)

Et congregastis aquas piscinae inferioris, et domos Jerusalem numerastis, et destruxistis domos ad muniendum murum. Et lacum fecistis inter duos muros, et aquam piscinae veteris: et non suspexistis ad eum qui fecerat eam, et operatorem illius de longe non vidistis. Narrat quomodo obsidioni paraverint civitatem, et aquas inferioris piscinae, quae capi poterant, ad superiorem munitionem transtulerint, destructisque domibus, muros aedificaverint, et per singulas cognationes, quae domus quantum aquae deberet accipere, dinumerarint, fecerintque cisternam inter duos muros, et piscinam veterem instaurarint ad servandas aquas: et non magis Dei invocaverint auxilium, qui conditor urbis sit, piscinaeque Dominus; quasi aliis verbis dixerit: Fiduciam habuistis in homine, et non in Deo, qui factor est hominis. Quidam juxta mysticos intellectus piscinam veterem, Legis umbram intelligunt, et inter duos muros, novum

videlicet et vetus Testamentum, aedificatum lacum Pharisaeorum traditionibus atque mandatis, qui aquas continere non possit: et non respexisse eos ad Filium Dei, nec illius praesentiam credidisse quem olim non viderint, quia semper Dei praeceptis increduli fuerint.

## (Vers. 12-14.)

Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, et ad calvitium, et ad cingulum sacci. Et ecce gaudium et laetitia occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum: comedamus et bibamus, cras enim moriemur, et revelata est in auribus meis Domini exercituum. Si dimittetur iniquitas haec vobis donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.

Captivitate praesente et obsessa Jerusalem, cum ferrum, fames, sitis urgeret urbem, Jeremias ad poenitentiam populum provocabat (Jerem. XXXIV), et e contrario reges ac principes, et vulgus miserabile desperatione pereuntium se tradebat epulis. Nihil autem sic offendit Deum quam post peccata erecta cervix, et ex desperatione contemptus. Quod et per Amos loquitur: Super tres et quatuor impietates non aversabor eum; quod et cogitaverit, et fecerit, et non egerit poenitentiam: insuper et docuerit malum. Unde et nunc dicitur: Si dimittetur iniquitas haec vobis, donec moriamini (Amos I, 4). Putant allegorici Interpretes de passione Christi esse praedictum, quod vocaverit Deus etiam post crucem Domini Salvatoris infelicem populum ad poenitentiam, et nihilominus ille se desperationi tradiderit, et voluptati. Principium quippe istius visionis, in quo ait: Clamoris plena, urbs frequens, civitas exsultans, ad illud tempus referunt, quando a Pharisaeis populus incitatus, pari contra Jesum voce resonabat: Crucifige, crucifige talem: non habemus regem nisi Caesarem (Joan. XIX, 6, 7). Hujus testimonii exemplo etiam Apostolus usus est, scribens ad

Corinthios de resurrectione: Si mortui non resurgunt, manducemus, et bibamus, cras enim moriemur (I Cor. XV, 32).

## (Vers. 15 seqq.)

Haec dicit Dominus Deus exercituum: vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam praepositum Templi, et dices ei: quid tu hic? aut quasi quis hic, quia excidisti tibi hic sepulcrum? Excidisti in excelso memoriam, diligenter in petra tabernaculum tibi. Ecce Dominus asportari te faciet: sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi amictum sic sublevabit te. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam, et spatiosam: ibi morieris, et ibi erunt currus gloriae tuae; ignominia domus Domini tui. Et expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te. Et erit in die illa, vocabo servum meum Eliacim filium Helciae. Et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu ejus: et erit quasi pater habitantibus Jerusalem et domui Juda. Et dabo clavem domus David super humerum ejus, et aperiet, et nemo erit qui claudat: et claudet, et non erit qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriae domui patris sui. Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus, vasorum diversa genera: omne vas parvulum, a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum. In die illo, dicit Dominus exercituum, auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli, et frangetur et cadet, et peribit quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est.

Supra diximus Sobnam fuisse pontificem, qui Assyriis prodidit civitatem. Sed quia hoc traditionis est Hebraicae, et Scriptura non loquitur, intelligamus eum superbum, tumidum, et voluptuosum, suisque pedibus populos conculcantem: et quia fecerit cuncta quae Propheta describit, sacerdotium ejus ad Eliacim filium Helciae

fuisse translatum, ut illo ejecto, novus Pontifex fieret. Ex quo intelligimus, omni studio superbiam declinandam, quae offendit Deum, et ne pontificatus quidem privilegio tuta esse potest. Iste est Sobna (sicut quidam putant) et Eliacim, de quibus idem Propheta subtexuit: Misit rex Assyriorum Rabsacem de Lachis in Jerusalem ad regem Ezechiam in manu gravi: et stelit in aquaeductu piscinae superioris, in via agri fullonis, egressusque est ad eum Eliacim filius Helciae, qui erat super domum, et Sobna scriba, et Johae filius Asaph a commentariis (Isa. XXXVI, 2 et seqq.). Jubetur ergo ingredi Propheta ad pontificem, qui habitabat, juxta LXX, in pastophorio; juxta Aquilam, in tabernaculo: pro quo sequens Hebraicam veritatem Theodotion ait: Ingredere ad Socen istum, quod interpretari potest, aequum et rectum (ut scilicet --- iniquus intelligatur et pravus), ad pontificem templi, et dices ei: Qui habitas in domo Dei, cujus scelera in tota civitate bacchantur, cur securus es in operibus tuis, quasi non verearis captivitatem: excidisti tibi in petra sepulcrum, et tam superbe aedificasti, ut ambitio te et in morte sequeretur? Audi quae sit in te Domini sententia: quomodo gallus gallinaceus humero portantis aufertur, et singuli hominum levant in scapula pallium suum: sic tua facilis erit in captivitatem translatio. Habebis coronam non laminae aureae, et sanctificationis Domini, sed tribulationis et angustiae. Sicut enim pila si mittatur in proclive, stare non potest, sed veloci cursu volvitur: ita et tu ad terram latissimam deduceris, quam aut Aegyptum, aut Babyloniae campos intelligamus, ibique morieris: et ibi erunt currus gloriae tuae, omnes potentiae et opes, quibus nunc fultus incedis. Ibi senties ignominiam domus Domini tui: quia propter opera mala, et violatum Templum Dei tui ista patieris. Detraham te de gradu tuo, et de pontificatus officio projiciam, et pro te Eliacim servum meum filium Helciae induam vestimentis tuis, et cingulo tuo decorabo: sicut Eleazar vestimentis Aaron patris indutus est. Ipsi dabo potestatem Templi, qui habeat populum non subjectum sibi quasi servum, sed amatorem

sui quasi filium. Ipse accipiet clavem domus meae, et in suo portabit humero, ipse habebit caeremoniarum omnium potestatem. Et quomodo paxillus si figatur in pariete Templi, et in loco firmissimo collocetur, omnia vasa sacerdotum et Levitarum, tam quae in sacrificiis necessaria sunt, quam omnis generis musicorum, suspenduntur in eo: sic omnis populus ex Eliacim servi mei potestate pendebit. Quod autem ait: In die illa auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli, et frangetur, et cadet, et peribit quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est, multi ad Sobnam referunt, quod Eliacim infixa paxillo, prior paxillus qui infixus fuerat, corruat. Sed quia sequitur: Et peribit quod pependerat in eo: quod dejecto Sobna, nequaquam factum est, intelligimus hoc dici, quod deposito Sobna, Pontificatum acceperit Eliacim, cujus sacerdotii dignitatem subvertit extrema captivitas. Qui juxta --- cuncta accipiunt, volunt in Sobnae Pontificatu Judaeorum sacerdotium cadere, et in successione Eliacim, qui interpretatur Deus resurgens, Evangelici cultus sacramenta monstrari: ita ut hoc quod sequitur: In die illo, dicit Dominus exercituum, auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli, et frangetur et cadet, ad prioris populi ruinam pertineat. Nemo autem dubitat, et juxta historiam, et juxta allegoriam, quia paxillum dixerat, servari metaphoram in suspensione vasorum diversi generis: et quod prioribus fractis, alia suspendantur.

## (Cap. XXIII.---Vers. 1.)

Onus Tyri. Ululate naves maris, quia vastata est domus, unde venire consueverant: de terra Cethim revelata est eis. Tacete qui habitatis in insula negotiatio Sidonis.

Manifestius et plenius Ezechiel propheta et subversionem Tyri, et causas subversionis exponit, dicens: Fili hominis, pro eo quod dixit Tyrus de Jerusalem: Euge, confractae sunt portae populorum, conversa est ad me,

implebor, deserta est. Propterea haec dicit Dominus Deus: Ecce ego super te, Tyre, et ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans, et dissipabo muros Tyri, et destruam turres ejus, et radam pulverem ejus de ea (Ezech. XXVI, 2, et seqq.) Quae autem istae sint gentes multae, quae inundabunt Tyrum sicut mare fluctuans, nominatim in consequentibus docet: Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab Aquilone, regem regum, cum equis, et curribus et equitibus, et coetu populoque magno. Filias tuas quae sunt in agro, gladio interficiet: et circumdabit te munitionibus: et comportabit aggerem in gyro, et elevabit contra te clypeum, et vineas atque arietes temperabit in muros tuos, et turres tuas destruet in armatura sua, et caetera quae usque ad finem visionis sequuntur. Nam et in alia prophetia, quae adversum Aegyptios cernitur, eadem Scriptura contexit: Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversum Tyrum: omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus, et merces non est reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro (Ezech. XXIX). Per quae significat multo tempore ab exercitu Babylonis aggerem comportatum, ut quod postea fecit Alexander, insulam continenti terrae socians, ille ante facere sit conatus (Quint. Curt. lib. IV). Quomodo ergo adversus Babylonem et Philistiim, et Moab, et Aegyptum, et Idumaeos et Ismaelitas, supra Dei comminationem legimus, quod insultaverint captivitati populi ejus, ita etiam nunc adversum Tyrum inimicam, et insultatricem subversionis Jerusalem prophetia texitur, quod etiam ipsa ab eodem hoste sit destruenda. Legimus Graecorum historias, et maxime eorum qui Assyriae gentis bella describunt; ibique reperimus post captivitatem Jerusalem, Palaestinos, et Arabas, et Damascenos, ac deinceps Aegyptios fuisse subversos. Quod autem semper hae gentes, et praecipue Tyrus impugnaverit Israel, et in illius subversione laetata sit, Amos propheta in exordio sui voluminis explicat (Amos. I), et breviter laudes Deo

canens Psalmista declarat: Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris, Deus. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: et qui te oderunt, extulerunt caput. Super populum tuum malignaverunt consilium, et cogitaverunt adversus sanctos tuos. Dixerunt, Venite, et disperdamus eos de gente, et non memoretur nomen Israel ultra. Quoniam cogitaverunt unanimiter, simul adversum te testamentum disposuerunt, tabernacula Idumaeorum, et Ismaelitae, Moab, et Agareni, Gebal, et Ammon, et Amalech, alienigenae cum habitantibus Tyrum (Ps. LXXXII, 1 et seqq.). Ex quibus omnibus discimus, pondus irae Dei super Tyrum venisse meretricem, quae hic sub specie scorti, in Ezechiel sub navis translatione describitur (Ezech. XXVI). Ululate, inquit, naves maris. Pro quo in LXX legimus Carthaginis: et habetur in Hebraeo THARSIS: de quo et in Jona propheta, et in quadam epistola disputavi. Possumus autem, quia Carthago Tyriorum colonia est, in praesenti loco Tharsis, non mare generaliter, sed et Carthaginem accipere: quod nequaquam de Africa naves Tyrum veniant, nec de terra Cethim, quam Cyprum quidam interpretantur: usque hodie enim est apud eos urbs Citium, de qua et Zeno Stoicae sectae Haeresiarches fuit: quamquam plerique nostrorum, et maxime Machabaeorum principium, Cethim Italiae Macedoniaeque insulas arbitrentur. Hoc enim Scriptura commemorat, quod Alexander rex Macedonum egressus sit de terra Cethim. Insulam quoque nominans, non mentitur: postea enim a Nabuchodonosor, vel Alexandro terrae continens facta est, propter expugnationem multis in brevi freto aggeribus comportatis. Negotiationem quoque Sidonis appellat, juxta sequentem versiculum, in quo ait: Erubesce, Sidon. Tradunt enim historiae, quod Tyrus colonia Sidonis sit.

## (Vers. 3.)

Transfretantes mare repleverunt te, in aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges ejus.

Tyrum negotiatione gaudere, et totius orbis esse emporion, et praesentia tempora probant, et Ezechiel lato sermone describit. Quod autem negotiatores in subvehendis mercibus transfretent maria, nemo est qui dubitet; nec tantas habet opes ipsa urbs de terra regionis suae, quae valde angusta est, et Galilaeae, Damascique finibus premitur, quantas de subvectione navium. Nilus omnis, et Aegypti fertilitas e vicino infunditur Tyro. Pro Nilo, quod apud Hebraeos legimus SIOR, LXX et Theodotio negotiatores interpretati sunt; quod verbum, turbidum, et per hoc Nili aquas significat, Jeremia testante, quid tibi, et Aegypto, ut bibas aquas Geon (Jerem. II, 18): pro quo in Hebraico habetur Sior, id est, turbidas.

## (Vers. 4.)

Erubesce, Sidon: ait enim mare fortitudo maris, dicens: non parturivi, et non peperi, et non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines.

Dixi supra coloniam Sidoniorum esse Tyrum. Audi igitur, mater, cuncta simul contra filiam tuam maria clamantia, et quodammodo vocem emittentia, quae per naturam loqui non valent: frustra divitias comportavi: sine causa de toto orbe in Tyrum opes contuli: illa dives, illa luxuriosa, et populorum quondam gaudens multitudine, in qua nascebatur turba mortalium, caterva puerorum, juventutis examina, cujus plateae virginum, et infantium, ac juvenum, et puellarum lusibus perstrepebant: nunc ad solitudinem redacta est. Fieri autem --- ex rebus mutis solemne est.

## (Vers. 5.)

Cum auditum fuerit in Aegypto; dolebunt cum audierint de Tyro.

Hoc perspicuum est, quod Aegyptii postquam audierint potentissimam, et vicinam gentem, longa obsidione deletam, sciant etiam sibi interitum propinquare.

## (Vers. 6.)

Transite Maria, ululate qui habitatis in insula.

Rursum pro mari et Tharsis LXX Carthaginem transtulerunt. Legimus in historiis Assyriorum, obsessos Tyrios postquam nullam spem evadendi videbant, conscensis navibus fugisse Carthaginem, seu ad alias Ionii Aegaeique maris insulas. Unde et in Ezechiel dicitur: Merces non est reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro (Ezech. XXIX); eo quod omnes urbis opes translatae sint, et nobiles quique eam vacuam dereliquerint.

## (Vers. 7.)

Numquid non haec vestra est, quae gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua? Arguit superbiae Tyrum, quod in conditionis suae antiquitate sit gloriata, et non respexit ad Deum: sed nomina patrum recolens, se aeternam putaverit.

Ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum.

Eos dicit, qui in urbe remanserant, et captivi ducti sunt in Babylonem.

## (Vers. 8.)

Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam?

Rursum lege Ezechiel (Ezech. XXVII), et quantae gloriae Tyrus fuerit, ex principis ejus lamentatione

cognosces. Coronatam vocat eam, quod sicut rex inter plurimam hominum multitudinem ornatum diademate erigit caput: ita Tyrus fulgens et excelsa opibus, auroque et gemmis et serico ac purpura nitens, regina sit in cunctis gentibus aestimata.

Cujus negotiatores principes, institores ejus inclyti terrae. Miramur legatum Pyrrhi quondam dixisse de urbe Romana, Vidi civitatem regum. Ecce multo ante illa tempora negotiatores et institores Tyri, principes et inclyti describuntur: ut per haec ostendatur opulentiae magnitudo, cum negotiator Tyri alterius verbis esse rex possit.

## (Vers. 9.)

Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriae: et ad ignominiam deduceret universos inclytos terrae.

Quia supra interrogantis more dixerat: Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam? Nunc ipse respondit: non fatorum, ut stulti putant, sic fila deducta sunt: non fortunae cucurrit rota, sed Dei judicio et ipsius voluntate perfectum est, qui superbis resistit, et humilibus dat gratiam (Jacob. IV): et commonet arrogantes conditionis suae, ut discant potentiam ejus per miseriam, cujus clementiam per beneficia sentire noluerant.

## (Vers. 10.)

Transi terram tuam quasi flumen, filia maris: non est cingulum ultra tibi.

Sicut, inquit, fluvius, sive ut in Hebraico significantius habet, rivulus, hoc enim dicitur IOR, facile transitur pede: ita et tu terram tuam, in captivitatem ducta, transibis, o filia maris, vel quia insula es, vel quia supra de te

scriptum est: Dixit mare fortitudo maris, non parturivi, et non peperi. Quodque infert, non est cingulum ultra tibi, quem sensum habeat, apertius Symmachus docet, non poteris ultra resistere, id est, non habebis vires, nec accinctos ad pugnandum lumbos tuos, ut possis adversariis contraire.

## (Vers. 11.)

Manum suam extendit super mare, conturbavit regna.

Quis extendit manum? haud dubium ex ipsa sermonis continentia quin Deus, de quo supra dixit: Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriae. Extendit ergo manum suam super omnia maria, saeculum orbemque significans, et conturbavit universas gentes, inter quas, et tu, Tyre, turbata es, sive super mare, in quo proprie sita es.

## (Vers. 12.)

Dominus mandavit adversus Chanaan, ut contereret fortes ejus.

Ostendit quod sit mare, super quod extenderit Dominus manum suam, dicens: Mandavit adversus Chanaan. Tyrus enim in terra Chanaan condita est. Lege Scripturas, maximeque Evangelium (Marc. VII), ubi Syrophoenissa interpellans pro filia, egreditur de terra Chanaan, quae dicitur mulier Chananaea. Simulque quia dixerat: Extendit manum suam, ne operantem membris, et officio corporali crederes Dominum, adjecit, mandavit, ut Dei fecisse, jussisse sit.

## (Vers. 13.)

Et dixit: Non adjicies ultra ut glorieris, calumniam sustinens, virgo filia Sidonis, in Cethim consurgens transfreta: ibi quoque non erit requies tibi.

Deus, qui cogitavit detrahere superbiam omnis gloriae, qui mandavit adversus Chanaan, ut contereret fortes ejus, ipse dicit, Nequaquam ultra gloriaberis, et in tua confides potentia.

O virgo filia Sidonis, id est, colonia Sidoniorum, fugies quidem navibus ad insulas Occidentis, seu in Cyprum, et caeteras Macedoniae Graeciaeque terras, sed et ibi, adversante Deo, requiem invenire non poteris. Alioquin, omnis vagus atque in orbe peregrinus, et incertarum sedium, semper in angustia, jugiter in moerore est.

## (Vers. 13, 14.)

Ecce terra Chaldaeorum, talis populus non fuit: Assur fundavit eam in captivitatem, traduxerunt robustos ejus, suffoderunt domos illius, posuerunt eam in ruinam. Ululate, naves maris, quia devastata est fortitudo vestra.

Quia supra dixerat: Ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum: et iterum, Transi terram tuam quasi flumen, duplexque fuit populus Tyri, eorum qui fugerant, et transfretaverant in Cethim, et eorum qui in urbe remanserant, ad utrumque loquitur. De his qui fugerant, supra ait: In Cethim consurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi. De his qui remanserant, et ducti sunt in captivitatem: Ecce, inquit, accolae terrae Chaldaeorum, cujus potentiam nulli populi ante habuerunt, et quae ab Assyrio fundata est, transduxerunt robustos Tyri. Suffoderunt non solum muros, sed et cuncta habitacula civitatis, posueruntque eam in ruinam. Quia igitur alii fugerunt, alii capti sunt, ululate, naves, vel maris, vel Carthaginis; negotiatio enim, et colonia vestra

deleta est. Simulque considera, quomodo laudaverit Chaldaeos. Non dixit, talis populus ultra non erit: potentius quippe, et durius regnum est Romanorum; sed, ante non fuit. Qui priora negavit, concessit sequentia.

## (Vers. 15.)

Et erit in die illa, in oblivione eris, o Tyre, septuaginta annis, sicut dies regis unius.

Ab hoc loco usque in finem hujus prophetiae, Tyro prospera nuntiantur, quod debeat agere poenitentiam, quod iterum exstruenda sit, quod septuaginta tantum annis, quibus et templum Dei desolatum fuit, Tyri subversio maneat: ut cujus ruinis insultabat, et ruinarum ejus tempus imitetur. Septuaginta autem annos unius regis, multi putant Nabuchodonosor dici, quibus regnum gentis Assyriae in Jerusalem permanserit. Alii generaliter pronuntiatum, quod qui longum regnandi tempus habuerit, septuaginta annos transire non possit.

## (Vers. 16.)

Post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis. Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita, bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit. Quia cum plurimis gentibus fornicata es, et desolatam te nudamque et captivitatis squalentem sordibus, amatores pristini contempserunt, assume nunc citharam, congemina carmina, circui civitatem, plange lupanar pristinum, et antiqui erroris vestigia lacrymis lava, ut possis Dei in te misericordiam provocare.

## (Vers. 17.)

Et erit, post septuaginta annos visitabit Dominus Tyrum, et reducet eam ad merces suas, et rursum

fornicabitur cum universis regnis terrae super faciem terrae.

Haec omnia juxta historiam expleta esse, consonis Graecorum, et Phoenicum litteris indicatur, quod post LXX annos instaurata, ad potentiam pristinam sit reversa, et negotiatio universarum gentium fuerit, quas ego puto fornicationes appellari, ut quomodo qui fornicatur, ad lupanar ingreditur, et mercedem stupri tribuit: sic et instator, de toto orbe concurrens, pulchritudinem urbis quasi meretricis impleverit.

## (Vers. 18.)

Et erit negotiatio ejus, et merces ejus sanctificatae Domino: non condentur, neque reponentur. Quia his qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitate, et vestiantur usque ad vetustatem.

Haec secundum historiam, necdum facta comperimus, nisi forte putandum est, quod post aedificationem Jerusalem, et instaurationem Tyri, amicae inter se fuerint civitates, et ad templum Dei crebro Tyri dona transmiserint: sicut et in Ezra legimus (Esdr. XIII, 16), quod Tyrios qui pisces vendebant, in sabbato abegerit, et introire urbem non permiserit: atque ex uno mercimonio, etiam de caeteris aestimandum sit. Judaei cassa in futurum vota differunt, post Antichristum in mille annis haec explenda memorantes. Nec mirum si ista confingant, qui spreta veritate Christi, organum diaboli Antichristum recepturi sunt, cum etiam Christiani judaizantes, de mille annorum beatitudine haec dicta contendant. Ego autem quomodo in visione Babylonis sub typo eversionis ejus, consummationis tempus intelligo, et in Aegypto destructis idolis altare Domini collocatum, ad Christi tempus refero, et in visione Moab, thronum Salvatoris in terra ejus positum recognosco, et in Damasci

caeterisque visionibus omnibus, nostrorum esse temporum sacramenta non dubito: ita et in visione Tyri, quae extrema est, christianae felicitatis tempus interpretor: quod postquam aedificata est, et recepit pristinum statum, et omnis negotiator in antiquam consuetudinem, portum ejus ingressus est, et mercimonia, et labor eorum Domino dedicentur. Cernamus in Tyro exstructas Christi Ecclesias, consideremus opes omnium, quod non reponantur, nec thesaurizentur, sed dentur his qui habitant coram Domino, qui servientes altari participant cum altari (I Cor. IX). Ministrant autem Tyrii non ad divitias, nec ad cumulandas sacerdotum opes, sed ad victus necessaria suppetenda: ut, juxta Apostolum, habentes victum atque vestitum, his contenti simus (I Tim. VI). Et nota quod non dixerit negotiationes, et merces Tyri sanctificatas Domino his dandas qui habitaverint Jerusalem sicut Judaei arbitrantur; sed qui fuerint coram Domino, qui serviunt ei. Sic enim et Dominus constituit, ut qui Evangelium praedicant, vivant de Evangelio (I Cor. IX). Servire autem Domino, et habitare coram eo, non est loci, sed meriti. Hucusque visiones Isaiae, sive onera quae certis gentibus imposuit, ut jussisti, et ut nos quivimus, historica interpretatione disseruimus, Hebraicae tantum veritatis prementes vestigia. Quae sequuntur, ad omnes pertinent nationes, et generaliter ad totius mundi consummationem. De quibus nec tu petisti, ut scriberem, nec mihi otiosum fuit, ut ex superfluo non quaesita dictarem, qui quaesita vix scripsi.

## LIBER SEXTUS.

Quod in praecedenti volumine pollicitus sum, ut super fundamenta historiae, si voluntati nostrae Christus annueret, spirituale exstruerem aedificium, et imposito culmine perfectae ecclesiae ornamenta monstrarem, hoc in sequentibus duobus libris, o virgo Christi Eustochium, orationibus tuis, et Domini misericordia facere conabor, ut eodem labore quo quintus liber historiam

comprehendit, sextus et septimus perstringat anagogen: non omnia disserentes, ne multa fiant volumina, sed quid Ecclesiastici viri ante nos senserint, breviter indicantes.

## (Cap. XIII.---Vers. 1.)

Onus seu visio contra Babylonem quam vidit Isaias filius Amos.

Vidit non carnis, sed mentis oculis, quam grande magnumque pondus Babyloni sit imponendum. Et quia Babylon, quae Hebraice dicitur BABEL, interpretatur confusio; eo quod ibi aedificantium turrim sermo confusus sit, spiritualiter mundus iste intelligitur, qui in maligno positus est, et non solum linguas, sed opera singulorum, mentesque confundit. Hujus Babylonis rex est verus Nabuchodonosor, contra Dominum superbiens, qui dicit in corde suo: In coelum ascendam, super sidera coeli ponam solium meum: sedebo in monte Testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo. Iste est qui ostendit Domino universa regna mundi, et dixit ei: Haec omnia mihi tradita sunt, et tibi dabo, si cadens adoraveris me (Matth. XLIX). Denique in consequentibus nequaquam contra Babylonem, sed contra orbem terrarum comminatio est. Dominus Sabaoth praecepit genti bellicosissimae, ut veniat de terra longinqua a summitate coeli, ut disperdat orbem terrarum. Et iterum: Ecce dies venit insanabilis furoris et irae, ut ponat orbem terrarum desertum, et peccatores disperdat ex eo. Ac deinde: Praecipiam orbi terrarum universo mala, et impiis peccata sua. Ex quibus probatur, omnia quae dicuntur contra Babylonem, ad mundi hujus confusionem et interitum pertinere.

## (Vers. 2.)

Super montem caliginosum, sive campestrem, levate signum.

Apostolis praecipitur et Apostolicis viris ac magistris Ecclesiarum, ut dimicaturi contra Babylonem, signum elevent Dominicae crucis, non in humili loco, et in demersis vallibus, sed in monte caliginoso, sive campestri. Quorum alterum significat abscondita Ecclesiae sacramenta, quae ut videret Moyses, et audiret vocem Dei, intravit tenebras et caliginem. Posuit enim Deus tenebras latibulum suum: et nubes et caligo in circuitu ejus (Psal. XVII). Alterum docet, sic nos ad excelsa ecclesiasticorum dogmatum debere conscendere, ut juxta Apostolum Paulum humiliemur atque dicamus: Qui non sum dignus vocari Apostolus, quia sum persecutus Ecclesiam Dei (I Cor. XV, 9). Qui et ipse elevavit signum in monte campestri, quando insita sibi humilitate dicebat: Ego autem judicavi nihil scire me in vobis, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Hoc autem signum, et in superioribus levabit ipse, qui ortus est de radice Jesse in nationibus, ut congregaret perditos Israel.

Exaltate vocem, levate manum. Pro quo LXX transtulerunt: Consolamini manum. Exaltat vocem qui de sublimibus loquitur, et praesentia quasi brevia, et transitoria contemnit. Qui audit ab eodem Isaia: Super montem excelsum ascende qui evangelizas Sion. Eleva in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Jerusalem, elevat manum suam, qui potest cum David dicere: Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum (Ps CXL, 2); et qui in omni loco levat sanctas manus, ut non solum levet manus, sed etiam consoletur manu: ne dicat pauperi: cras veni, et accipe; sed ut pauperiem ejus, et necessitatem praesenti misericordia consoletur.

Et ingrediantur portas duces.

LXX: Aperite principes. Duces Ecclesiae ingrediuntur portas mysteriorum Dei, et Scripturarum sacramenta cognoscunt, habentes clavem scientiae, ut aperiant eas

creditis sibi populis. Unde praecipitur, ut magistri aperiant, et discipuli ingrediantur.

## (Vers. 3.)

Ego mandavi sanctificatis meis.

Pro quo LXX: Ego praecipiam, et ego adducam eos. Ipse enim sanctificat ministros suos, ut et qui sanctificat et qui sanctificantur, ex uno omnes sint. Qui et in alio loco credentibus loquitur: Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum, ipse praecipit, et adducet principes suos, ut faciant quae praecepta sunt (Levit. XIX, 2).

Et vocavi fortes meos in ira mea: exsultantes in gloria mea.

LXX: Gigantes veniunt implere furorem meum, gaudentes simul, et contumeliam facientes. Juxta Hebraicum haerent superioribus quae dicuntur, quod ipse vocaverit fortes suos, exsultantes in gloria sua qui mandaverat sanctificatis suis. Porro juxta LXX, gigantes venientes ut impleant furorem Domini, gaudentes in aliena injuria atque laetantes, sinistrae accipiendae sunt contrariaeque virtutes, de quibus et in psalmis legimus: Misit in eos furorem irae suae, furorem et iram et tribulationem, immissionem per Angelos pessimos (Ps. LXXVII, 49). Ex his est et exterminator in Aegypto, qui postes agni litos sanguine non audet intrare (Exod. XII), et ille spiritus qui egressus stetit in conspectu Domini, et ait: Ego decipiam Achab. Dixitque ei Dominus: Decipies et praevalebis egredere et fac sic (III Reg. XXII, 21, 22). Unde in eodem Regum volumine Michaeas dixit; Vidi Dominum Israelem sedentem super thronum suum, et omnis exercitus coeli stabat circa eum a dextris, et a sinistris (Ibid., 9). Dextrae virtutes sunt eorum Angelorum qui ad bona mittuntur: sinistrae autem eorum quibus ad puniendum tradimur. Unde et Apostolus: Quos tradidi,

inquit, Satanae, ut discant non blasphemare (I Tim. I, 20). Nomen autem gigantium, pro quo in Hebraeo GEBORIM, id est, fortium positum est, LXX et Theodotis in similitudinem fabularum vertere gentilium, sicut, et Sirenas, et Titanas, et Arcturum, Hyadas, et Orionem nominant, quae apud Hebraeos aliis appellantur vocabulis. Si autem gigantes rebelles Dei sunt, et omnes haereses contrariae veritati rebellant Deo: omnes haeretici gigantes sunt, qui gaudent in errore suo, et tunc maxime gloriantur, quando Ecclesiae contumeliam fecerint.

## (Vers. 5.)

Vox multitudinis in montibus quasi populorum frequentium, vox sonitus regum gentium congregatarum.

Tripliciter iste locus accipitur. Primum, ut elevato signo in monte campestri, veniat gentium multitudo, et ipsa in montibus constituta, quae dividitur in duo, in populos scilicet, et in reges, in discipulos, et magistros, de quibus Salvator in Evangelio loquebatur: Multi ab Oriente et ab Occidente venient, et accumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno coelorum (Matth., VIII, 11). Propterea autem una vox, et consona dicitur, ut illud Apostolicum probetur: Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sed sitis perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia (I Cor. I, 10). Secundo, haereticorum describitur superbia, qui in montibus se esse credentes, eriguntur contra scientiam Dei, et iniquitatem in excelsum loquuntur, et ponunt in coelum os suum, qui et ipsi habent populos, habent reges, qui deceptum populum devorant. Tertia interpretatio est: quia supra dixerat, gigantes veniunt, ut impleant furorem meum, gaudentes simul, et contumeliam facientes, ipsorum gigantium describit arrogantiam, et ad puniendos, qui sibi traditi fuerint, in mala parte consensum.

Dominus exercituum praecepit militiae belli, venientibus de terra procul a summitate coeli: Dominus, et vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram.

LXX: Dominus Sabaoth praecepit genti bellicosissimae, ut veniat de terra longinqua a summo ÷ fundamento ** coeli Dominus, et bellatores ejus, ut disperdant universum orbem. Fundamentum obelo praenotandum est. In Regum, et Paralipomenon volumine legimus (II Reg. XXIV; I Par. XXI) quod ira Dei accensa sit super Israel quando David numeravit populum, et offendit Dominum. In Psalmis quoque scribitur: Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, et caetera his similia, pro quo legi in cujusdam (Basilium intelligit) Commentariis, iram Dei posse intelligi contrariam fortitudinem, cui tradimur ad puniendum, de quo et in octavo psalmo cantatur: Ut destruas inimicum, et ultorem (Psal. VIII, 3). Possunt bellatores dici qui de terra procul veniunt et a summo coeli, etiam ministri Angeli, qui in mundi consummatione mittendi sunt, ut zizaniorum manipulos faciant, et separatos a frumento incendio praeparent sempiterno (Matth. XIII). Omnis quoque terra disperditur, quando terrena opera subvertuntur. Sunt et alii Domini bellatores instructi armatura Apostoli, qui quotidie in Ecclesia, quae οἰκουμένη, id est orbis, et habitata intelligitur, disperdant eos, et interficiant, qui eriguntur contra scientiam Dei.

## (Vers. 6, 7.)

Ululate, quia prope est dies Domini, quasi vastitas a Domino veniet. Propterea omnes manus dissolventur, et omne cor hominis tabescet, et conteretur. Quoniam bellatores Domini venturi sunt, ut disperdant omnem terram, ululate, et agite poenitentiam, quibus poena ventura est.

Prope est enim dies Domini, vel consummationis totius mundi, atque judicii, vel exitus uniuscujusque de vita. Venit enim a Domino depraedatio, quam nos diximus vastitatem, ut servaremus metaphoram, quia praemiserat bellatores. Cum dies judicii, vel dormitionis advenerit, omnes manus dissolventur, quibus dicitur in alio loco: Confortamini, manus dissolutae. Dissolventur autem manus; quia nullum opus dignum Dei justitia reperietur: Et non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens (Ps. CXLII, 2). Unde Propheta dicit in psalmis: Si inquitates attendas, Domine, quis sustinebit (Ps. CXXIX, 3)? Omne quoque cor, sive anima hominis tabescet; et pavebit conscientia peccati sui. Haec est dies formidolosa atque terribilis, de qua et Sophonias loquitur: Metuite a facie Domini: quia prope est dies Domini (Soph. I, 14). Et rursum: Juxta est dies Domini magna: prope, et velox nimis. Et Amos: Vae, inquit, qui desiderant diem Domini: utquid vobis dies Domini, quae tenebrae sunt, et non lux (Amos V, 18)? Quodque juxta LXX additum est: turbabuntur legati, et dolores apprehendent eos: illos legatos interpretari possumus, quos cives miserant adversum eum, qui profectus erat in terram longinquam, ut sibi regnum peteret (Luc. XIX, 27). Unde ipse loquitur in Evangelio: Inimicos autem, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite coram me.

## (Vers. 8.)

Torsiones et dolores tenebunt: quasi parturiens dolebunt: unusquisque ad proximum suum stupebit: facies combustae vultus eorum.

Cum venerint Domini bellatores de terra longinqua, et omnes manus fuerint dissolutae, et cor pavidum atque contritum; tunc strophomata, quae nos torsiones ventris interpretati sumus, et dolores tenebunt eos, similes doloribus parturientium. Per quae ostenditur torqueri eos propria conscientia, et facies habere combustas eo igne,

quem sibi succenderant: quia non possunt dicere: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (Ps. IV, 7); et: Nos omnes revelata facie, gloriam Domini contemplantes, in eamdem imaginem transformamur (II Cor. III, 18). Unusquisque stupebit ad proximum suum, videns eum in eisdem esse tormentis, quibus ipse cruciatur.

## (Vers. 9.)

Ecce dies Domini venit crudelis, et indignationis plenus, et irae furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, peccatores ejus conterendos de ea.

Pro terra Septuaginta ὴν οἰκουμένην, id est, orbem interpretati sunt: pro crudeli, insanabilem. Cum enim dies vel judicii, vel mortis advenerit, implebitur illud quod in sexto psalmo legitur: In inferno autem quis confitebitur tibi (Ps. VI, 6)? Non est enim illud tempus poenitentiae, sed poenarum. Et in alio loco dicitur: Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te! Ergo absconditur multa Dei misericordia ab his qui adhuc in timore sunt positi, et perfectam Dei non habent charitatem, ut dum crudelem audiunt diem Domini, et insanabilem, et indignationis furorisque plenum, peccare desistant. Ponetur quoque orbis vel terra in solitudinem, et peccatores conterentur de ea, quae prius peccatorum onere gravabatur, ut deletis perditisque sceleribus, habitet et regnet in terra sola justitia [in fine mundi vel parusia].

## (Vers. 10.)

Quoniam stellae coeli, et splendor earum non expandent lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo.

LXX: Stellae enim coeli et Orion, et omnis ornatus coeli lumen suum non dabunt: et obtenebrabuntur sole oriente, et luna non dabit lumen suum. Pro eo quod nos interpretati sumus, splendor earum, haud dubium quin stellarum Aquila et Theodotio ipsum verbum posuerunt Hebraicum CHISILEEM: pro quo LXX Orionem transtulerunt, addentes de suo, et omnis ornatus coeli, quod obelo praenotandum est. Orionem autem gentilium fabulae dicunt viginti duas habere stellas, e quibus quatuor tertiae magnitudinis sunt, novem quartae, rursum aliae novem quintae, et ab aliis appellantur Bootes. Legimus quoque in Job, Hyadas, et Vesperum, et Arcturum, et thesauros, sive interiora Austri (Job. IX, 9), de quibus in suo loco dicendum est. Nec putare debemus apud Hebraeos has stellas his appellari nominibus, quae Graecus sermo resonat et Latinus: sed propria habere vocabula. Sicut enim Deus vocavit lucem, diem; et firmamentum, coelum; et aridam, terram; et congregationes aquarum, maria (Genes. I); sic et singulas stellas suis appellavit nominibus, quarum proprietatem nostra lingua non exprimit. Scriptum est de Deo in alio loco: Qui numerat multitudinem stellarum: et omnibus eis nomina vocat. Quando igitur dies Domini venerit ad ponendum orbem terrarum in solitudinem, et peccatores de ea penitus auferendos (Ps. CXLVI, 4); tunc ad comparationem divinae majestatis, stellae coeli, et omnis splendor earum retrahent lumen suum. Nec mirum est hoc de minoribus stellis dicere, cum etiam sol obtenebrescat in ortu suo, et luna splendorem solitum non habeat. Illud autem quod LXX transtulerunt, quod stellae et Orion, et omnis ornatus coeli obtenebrentur sole oriente, non habet quid signi, sive miraculi; hoc enim omni fit tempore, ut orto sole, stellae quae in coelo sunt non appareant. Nec mirum hoc dixisse de sole, cum etiam plena luna, et tota nocte fulgente, pleraque astra non luceant. Esse autem etiam per diem stellas in coelo, probat solis deliquium, quod quando umbra terrae, ut philosophi disputant, et

objecto orbe lunae fuerit obscuratus, clariora in coelo astra videantur.

## (Vers. 11.)

Et visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitates eorum.

Quando visitat et percutit Deus; ad hoc percutit ut emendet. Denique quando vehementer irascitur super eos qui non agunt poenitentiam: Non visitabo, inquit, super filias vestras, cum fuerint fornicatae: et super nurus vestras, cum adulteraverint (Osee IV, 14). E contrario de his qui in Christo credituri sunt, dicitur (Ps. LXXXVIII, 33): Visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis peccata eorum: misericordiam autem meam non auferam ab eis.

Et requiescere faciam superbiam infidelium: et arrogantiam fortium humiliabo.

LXX: Et perdam injuriam iniquorum, et injuriam superborum humiliabo. Verbum Hebraicum GAON, quod perspicue arrogantiam et superbiam sonat, Theodotio et Septuaginta semper injuriam transtulerunt, sensum magis quam verbum exprimentes: quia omnis superbus promptus est ad injuriam. Ergo propterea Dominus visitat super orbis mala, et contra impios iniquitates eorum, ut comprimat arrogantiam superborum, et superbiam fortium humiliet. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (I. Pet. V). Et in Proverbiis legimus: Ante contritionem elevatur cor viri, et ante gloriam humiliatur (Prov. XVI, 18). Semper superbiam ruina sequitur, et humilitatem gloria: Qui enim se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur (Luc. XIV). Legimus in alio loco: Perdam sapientiam sapientium, et intelligentiam prudentium reprobabo (I. Cor. I, 19). Non quod vera sapientia et vera prudentia perdantur a Domino, sed falsi nominis scientia: qui sibi thesaurizant

linguam mendacii, et deficiunt scrutantes scrutinio, et inveniunt nihil, loquentes iniquitatem in excelsum, et ponentes in coelum os suum. Unde proprie haereticorum superbia, veritatis injuria nominatur.

## (Vers. 12.)

Pretiosior erit vir auro: et homo mundo obrizo.

LXX: Et erunt qui derelicti fuerint, honorati magis quam aurum excoctum: et homo honorabilior erit lapide Sophir. In consummatione mundi, quando orbis redactus fuerit in solitudinem, et obtenebratus sol in ortu suo, et luna splendorem suum non dederit, tanta fient ab Antichristo signa atque portenta, ut iniquitate crescente, refrigescat charitas multorum, ad decipiendos etiam si fieri potest electos Dei (Matth. XXIV). Tunc pretiosior erit vir auro, quod Hebraice dicitur PHAZ et Aquila interpretatus est κιῤῥὸν, quod coloris optimi atque sanguinei est; et homo mundissimo obrizo, quod Hebraice dicitur OPHIR, et Aquila transtulit --- quod nescio quid volentes LXX interpretati sunt, lapidem de Sophir. Est autem Indiae locus, in quo aurum optimum nascitur; sicut in Genesi legimus de fluvio Phison: Iste est qui circumit omnem terram Evila, ubi est aurum; et aurum terrae illius optimum: et ibi est carbunculus et lapis prasinus (Genes. II, 11). Pretiosior autem intelligitur, pro eo quod est rarior. Omne enim, quod rarum est, pretiosum est, sicut et in Samuelis volumine legimus: Et sermo Domini pretiosus erat in Israel (I. Reg. XXXI).

## (Vers. 13.)

Super hoc coelum concutiam, et movebitur terra de loco suo.

LXX: Coelum enim furiet, et terra movebitur a fundamentis suis. Cum pretiosior fuerit vir auro, et homo mundo obrizo, et impletum quod scriptum est: Putas cum venerit Filius hominis, inveniet fidem super terram (Luc. XVIII, 8)? tunc et coeli movebuntur et terra. Coelum enim et terra pertransibunt, non sua voluntate, et proprio arbitrio, ut plerique aestimant, animantia ea esse credentes; sed propter indignationem Domini exercituum, et propter diem furoris ejus, qui respicit terram, et facit eam tremere. Unde hoc quod in LXX dicitur, coelum enim furiet, --- accipiendum pro his, qui versantur in coelo, quomodo si dicamus, omnis civitas conclamavit, et obviam judici urbs universa processit. Fundamenta vero terrae et in Proverbiis legimus: Deus sapientia fundavit terram (Prov. III, 19). Et ad Job loquitur Dominus: Ubi eras quando fundabum terram (Job. XXXVIII, 4)? Non quod terra habeat fundamenta profunda mole dejecta; sed voluntas et potestas Dei, qua omnia continentur, fundamenta illius appellanda sunt. Ipse enim super maria fundavit eam, et super flumina collocavit eam, et ipse appendit eam super nihili (Ps. XXIII; Job. XXVI).

## (Vers. 14-16.)

Et erit quasi damula fugiens, et quasi grex ovium, et non erit qui congreget: unusquisque ad populum suum convertentur, et singuli ad terram suam fugient. Omnis qui inventus fuerit, occidetur, et omnis qui supervenerit, cadet in gladio. Infantes eorum allidentur in oculis eorum; diripientur domus eorum, et uxores eorum violabuntur.

Coelo terraque commotis, fugiet diabolus coluber tortuosus, vel omne dogma contrarium veritati, quod in magistros ac discipulos scinditur, quorum priores propter --- Graeco sermone Dorcades, id est, Capreae nuncupantur sequentes quasi bruta animalia; et huc atque illuc errantia non habent qui eos dirigant: perdiderunt enim eum, de quo scriptum est: A domino

gressus hominis diriguntur (Prov. XX, 24): qui liberati a magistris pessimis convertentur ad populum suum, et singuli ad terram suam fugient, de qua orti sunt: qui vero inventus fuerit, occidetur, sive jugulabitur. Hoc autem non solum in consummatione mundi, sed usque hodie fit in Ecclesia: quando magistris superatis, grex deceptus revertitur ad populum, et ad terram suam; et in eo quod invenitur, occiditur, ut haereticus esse desistat, et quicumque supervenerit, cadet in gladio spirituali. Tunc infantes eorum et parvulos, qui nondum ad perfectam venerunt erroris aetatem, allident in oculis magistrorum, diripientque eorum domos, et uxores eorum violabunt, pravam sapientiam et doctrinam perversam. Unde pro hujusmodi patribus quorum interficiendi sunt parvuli, debemus orare et dicere: Da eis, Domine. Quid dabis eis? Vulvam sterilem, et ubera arentia (Osee IX, 4). Parturierunt enim iniquitatem, conceperunt dolorem, et genuerunt injustitiam.

## (Vers. 17, 18.)

Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quaerant, nec aurum velint: sed sagittis parvulos interficiant, et lactentibus uteris non misereantur, et super filios non parcet oculus eorum.

Invenimus in Genesi (Genes. X) quod Madai auctor gentis Medorum fuerit, qui interpretatur mensura, sive a potente, vel forti. Igitur contra Babylonios, qui mente confusi sunt, suscitantur a potente et forti Deo ministri ad puniendum fortitudinis: ut reddant unicuique secundum opera sua. In qua enim mensura mensi sunt, remetietur eis. Mensuram agitatam atque concussam et plenam et supereffundentem restituent in sinus eorum (Matth. XVI, et Luc. VI). Qui nec argentum nec aurum, id est, nec eloquii pulchritudinem, nec acumen ingenii, in quibus sibi ante plaudebant, recipient: sed poenis afficient traditos; et parvulis ac lactentibus uteri non miserebuntur, ut

magis misereantur. Atque utinam et nos suscitemur a Domino, et haec nobis detur potestas, ut nec argentum nec aurum velimus eloquentiae et sapientiae saecularis: sed filios haereticorum, et omnium qui decepti sunt, interficiamus sagittis spiritualibus, id est, testimoniis Scripturarum: et qui lacte nutriuntur erroris, absque ulla misericordia trucidentur, ut clementi crudelitate pereant, nulliusque misereamur infantiae, et illa beatitudine digni simus: Beatus qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram!

## (Vers. 18 seqq.)

Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldaeorum, sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham. Non habitabitur usque in finem, et non fundabitur usque ad generationem et generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs: nec pastores requiescent ibi: sed requiescent ibi bestiae, et replebuntur domus eorum draconibus: et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi; et respondebunt ibi ululae in aedibus ejus: et sirenae in delubris voluptatis.

## (Cap. XIV.---Vers. 1.)

Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur.

LXX: Et erit Babylon, quae vocatur inclyta gloriosa regis Chaldaeorum, sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham; non habitabitur in aeternum; nec ingredietur eam per multas generationes; nec transibunt per illam Arabes: neque pastores requiescent in ea, sed requiescent ibi bestiae, et replebuntur domus sonitu, et accubabunt ibi sirenae, et daemonia saltabunt ibi, et onocentauri ibi habitabunt, et cubicula facient hericii in domibus eorum. Cito veniet et non tardabit.

Quod sequitur: Et dies ejus non protrahentur, ** asteriscis notandum est, quia de Theodotione addita sunt. Medis adversus confusionis urbem suscitatis, qui nec aurum in bonis reputant, nec argentum; qui sagittis interficiunt parvulos, et lactentibus uteri non miserentur, et super filios non parcit oculos eorum: urbs quondam inclyta quae erat in superbia Chaldaeorum, qui interpretantur, quasi daemonia, sic subvertetur, quomodo subversa est Sodoma et Gomorrha; ut nullum in ea maneat pristinae mansionis vestigium: sed postquam fuerit coelum novum, et terra nova, et praeterierit figura hujus mundi (I Cor. VII), non habitabitur urbs confusionis in perpetuum; et nequaquam eumdem statum recipiet. Non enim ponet ibi, postquam in pristina gloria esse desierit, Arabs tentoria sua, qui interpretatur occidentalis et vespertinus; ut in ea cupiat habitare, quam viderit esse desertam. Arabs autem in praesenti loco in bonam partem accipitur: quod semper tendat ad finem, et oblitus praeteritorum, extendat se in priora. Nec pastores requiescent ibi, qui mansuetissimum Domini gregem in Jerusalem solent pascere; sed e contrario requiescent ibi bestiae, quas detestatur Psalmista, dicens: Ne tradas bestiis animam confitentem tibi (Ps. LXXIII, 19). Pro quibus Aquila, et Symmachus, et Theodotio, ipsum verbum Hebraicum posuerunt SIIM. Et implebuntur domus eorum, hoc est Babyloniorum, juxta LXX et Theodotionem ἤχου, id est, sonitu et clamoribus; juxta Aquilam, typhonibus, quos nos in dracones vertimus; juxta Symmachum OIIM, quod verbum in Hebraico continetur. Et habitabunt ibi struthiones, animal semper solitudines appetens, de quo in Job plenius scribitur: qui cum pennas habere videatur, tamen de terra altius non elevatur: pro quo LXX --- id est, sirenas interpretati sunt. Pilosos autem qui dicuntur Hebraice SIRIM, Theodotio, erectis et stantibus pilis interpretatus est. Symmachus et LXX daemonas transtulerunt. Pro onocentauris quoque, quos soli LXX interpretati sunt, imitantes gentilium fabulas, qui dicunt fuisse hippocentauros, tres reliqui interpretes ipsum

posuere verbum Hebraicum IIM quod nos in ululas vertimus. Ubi autem LXX dixerunt, cubilia facient hericii in domibus eorum, et in Hebraico positum est THANNIM, Aquila et Symmachus et Theodotio, sirenas interpretati sunt; significantes vel bestias aliquas esse, vel daemonas, juxta errorem gentilium dulce cantantes, et decipientes homines, qui hujus saeculi naufragium clausis auribus transire non possunt. Porro onocentauri nomen, ex asinis centaurisque compositum, videtur mihi significare eos, qui ex parte aliquid humanum sapiunt; et rursum voluptatibus et coeno turpitudinis abducuntur ad vitia. Dicitur ergo secundum tropologiam, quod in fine mundi, vel mortis uniuscujusque, omnis gloria et superbia Chaldaeorum, et confusio mundi, recedat a nobis; et ita omnia subvertantur, sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham; nec ultra mundi istius futurus sit status, sed pereat in aeternum. Nec ponat ibi Arabs tentoria sua, de quo in sexagesimo septimo psalmo dicitur; Iterfacite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen ejus (Psal. LXVII, 5). Nec pastores ibi requiescant, Angeli videlicet qui humano praesunt generi, et quotidie vident faciem Patris: sed requiescant ibi bestiae et dracones, et struthiones, et pilosi, et ululae, et sirenae, quas omnes bestias in figura intelligimus Angelorum, vel daemonum, et eorum quibus tradimur ad puniendum. Et in domibus quondam voluptatis, ubi erat laetitia et gaudium, sit planctus ulularum, et lamentabilis vox sirenarum, quae auditores suos ducit ad mortem. Tempus autem imminere judicii, et diem consummationis Babyloniae non elongari, nequaquam mirabitur, qui quotidie per sanctos viros in his qui credunt in Domino, subverti viderit Babylonem; et aeternitati comparatam, omnem longitudinem esse vicinam. De generibus bestiarum, immo monstrorum, breviter diximus: quia in priori libro juxta historiam ex parte perstricta sunt. Hoc quoque considerandum, quod postquam ecclesiasticus sermo et doctrina Salvatoris urbem confusionis everterit, ita ut Sodomae et Gomorrhae comparetur; non habitetur a sanctis viris, nec

pastores requiescant in ea, qui Christi gregem pascere consueverant: sed e contrario requiescant ibi bestiae, et dracones, et struthiones, et pilosi saltent in ea. Quidquid enim haeretici loquuntur in synagogis Satanae, non est doctrina Domini, sed ululatus daemonum et pilosorum, quos imitabatur Esau. Et sirenae requiescent in delubris voluptatis, quae dulci et mortifero carmine animas pertrahunt in profundum: ut saeviente naufragio, a lupis et canibus devorentur. Prope est ergo et instat quotidie tempus ruinae haereticorum, et non differtur eorum subversio.

Miserebitur enim Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israel, et requiescere eos faciet super humum suam: adjungetur advena ad eos, et adhaerebit domui Jacob. Et tenebunt eos populi, et adducent eos ad locum suum: et possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos et in ancillas; et erunt capientes eos qui se ceperant, et subjicient exactores suos. Et erit in die illa cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, et a concussione tua, et a servitute dura, qua ante servisti: sumes parabolam istam contra regem Babylonis, et dices.

Pro advena, id est, proselyto, LXX --- interpretati sunt: qui Hebraice GER dicitur. Unde puto et S. Moysi filium, qui advena erat in terra, nominatum a patre, Gersam. (Exod. I). Ergo georas est verbum Hebraicum, Graeca consuetudine declinatum: licet quidam Hebraei sermonis ignarus, Graecam in eo etymologiam exprimere conetur, ab eo quod terrenae rei curam habeat: γῆ enim, inquit, terra appellatur, et --- id est, sollicitudo. Rursum pro MASAL quam Aquila et Simmachus et Theodotio parabolam transtulerunt, quos et nos secuti sumus, LXX planctum interpretati sunt. Est autem ordo: postquam Babylon deserta fuerit in aeternum, ita ut habitatio bestiarum sit, miserebitur Dominus Jacob, ejus videlicet qui vitia supplantavit; et eliget Israel, eum qui mente conspicit Deum. Et nota verborum proprietatem: Jacob,

qui adhuc in lucta positus, est miserebitur: Israeli vero, qui post victoriam nomen accepit, non misericordia, sed electio coaptatur. Requiescere quoque eos faciet super terram suam, de qua Salvator loquitur: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (Matth. V, 4), et Credo videre bona Domini in terra viventium (Ps. XXVI, 13). Adjungentur quoque domni Jacob, qui electi sunt per Apostolos, gentium multitudo; et tenebunt reliquias domus Israel, et adducent eos in locum suum, ut habitent in tabernaculis eorum; et possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos et ancillas. Prodest quippe malis, ut bonis serviant. Unde et Esau dicitur: Servies fratri tuo. Et ad Jacob, Serviet tibi frater tuus (Gen. XXVII). Et accipient eos qui se sophismatibus ante deceperant: et exactores suos, qui omnia lucri causa faciunt, redigent in servitutem. Postquam autem requieverit Jacob et Israel a labore suo, quo multum contra saeculum et haereticos pugnando laboraverat; et a concussione et servitute sua, qua malignae interpretationi et falsis dogmatibus ante servierat: tunc sumet planctum atque parabolam contra regem Babylonis: sermonem videlicet haeretici erroris et confusionis: et dicet quae sequuntur. Locum istum Judaei interpretantur carnaliter, quod postquam reversi sunt de Babylone, factum esse docere non poterunt. Neque enim Babylonii servierunt eis, qui eos prius ceperant; nec victis Babyloniis, domus eorum possederunt: neque habuerunt eos in servos et ancillas. Restat igitur ut juxta fabulas suas de imperio hoc putent futurum esse Romano: quibus superatis in ultimo tempore, serviturae sint eis gentes, quibus ante servierint. Quod si sequentes litteram, spe se falsa decipiunt, quis eis concedet, ut Roma vocetur Babylon, et Nabuchodonosor rex Romani imperii?

## (Vers. 5, 6.)

Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum: virgam

dominantium, caedentem populos in indignatione, plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter.

In Petri Epistola legimus: Tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei (I Petr. IV, 17). Et in Ezechiel tortoribus dicitur: A sanctis meis incipite (Ezech. IX, 6). Pro diversitate quippe peccati, judicii ordo disponitur: ut qui minus deliquerint, ante purgentur. Novissimus autem inimicus destruatur mors. Ergo cum Israel de servitute dura fuerit liberatus, sumet parabolam contra regem Babylonis, quam debemus intelligere ut parabolam. Si enim contra Nabuchodonosor sermo est, et simplex historiae expositio, quomodo parabola dicitur, quae nulli alteri --- id est, comparatur. Miratur ergo Israel quomodo cessaverit exactor, qui exigere consueverat usque ad novissimum quadrantem. Exigere autem consuetus non alios nisi debitores, qui dicunt in Oratione Dominica: Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (Matth. VI, 12). Huic exactori debitores traduntur a judice, qui eos mittit in carcerem et exigit usque ad peccatum minimum. Denique et Paulus apostolus Corinthium fornicantem, qui uxorem patris acceperat, necnon Phygellum et Hermogenem tradidit exactori (I Cor. V; II Tim. I). Et de his exactoribus etiam supra dicitur: Populus meus exactores vestri depraedantur vos; et qui repetunt, dominator vestri. Pro tributo, Aquila famem interpretatus est. Sublato enim a nobis sponso, famem patimur verbi Dei, et jugiter a corpore Domini jejunamus. Idcircoque virga et baculus impiorum, pro quo septuaginta jugum interpretati sunt, percutit nos, sive opprimit; quia noluimus sustinere jugum levissimum, jugum Salvatoris. Hoc autem baculo et hac virga, insanabili gentes furore caedebat, et fugientes persequebatur crudeliter: non emendare volens traditos, sed occidere.

## (Vers. 7 seqq.)

Conquievit et siluit omnis terra: gavisa est, et exsultavit: abietes quoque laetatae sunt super te, et cedri Libani. Ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos: infernus subter conturbatus est: in occursum adventus tui suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terrae surrexerunt de soliis suis; omnes principes nationum, universi respondebunt, et dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut nos, nostri similis effectus es? Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum; subter te sternetur tinea, putredo et operimentum tuum erunt vermes.

Ad interitum regis impii, qui percutiebat plaga insanabili nationes, et persequebatur eas crudeliter, omnis terra conquievit, et siluit, quae prius turbarum, et seditionis plena erat, in tantum ut abietes, et cedri Libani laetarentur, de quibus in psalmis scriptum est: Vineam de Aegypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam. Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei (Ps. LXXIX, 9). Has cedros Dei, quia aliquando peccaverunt, tradidit Dominus suppliciis conterendas. Unde in alio psalmo dicitur: Conteret Dominus cedros Libani (Ps. XXVIII, 5). Abietes autem excelsi quique, et in Domini servitute sublimes debent accipi, quae consona voce dixerunt: Ex quo tu dormisti. Nota quod et mortis mors, appellatur dormitio. Non ascendet qui succidat nos. Victo enim forti, et direptis vasis ejus, etiam caeteri satellites corruerunt. Unde et Dominus loquitur in Evangelio (Matth. XXV, 41): Ite in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo, et angelis ejus. Quantos isti lignorum arborumque caesores suis securibus succiderunt, et fecere corruere? Infernus quoque conturbatus, sive versus in amaritudinem, in occursum adventus veri Nabuchodonosor, locus suppliciorum atque cruciatuum est, in quo videtur dives purpuratus: ad quem descendit et Dominus, ut vinctos de carcere dimitteret. Possumus infernum occurrentem dicere et eum angelum

qui inferis poenis praepositus est, qui suscitavit omnes gigantes: pro quo alii Raphaim, alii Titanas transtulerunt. Gigantes autem vocantur juxta Ethnicorum consuetudinem, qui eos terrigenas existimant, quos terra genuerit. Nos autem gigantes, juxta Graeci sermonis etymologiam, eos appellare possumus, qui terrenis operibus servierunt. Denique sequitur: Omnes principes terrae surrexerunt de soliis suis, in adventu quondam principis sui: ut quem prius honorabant pro potentia, postea mirarentur in poenis, et dicerent: Et tu vulneratus es sicut et nos: nostri similis effectus es. Quae verba hunc sensum habent: Putabamus nos pro imbecillitate nostra non potuisse resistere potentiae Dei, et te esse solum, qui in tua altitudine permaneres; sed ut rebus ostenditur, et tu vulneratus et captus es, nostrique similis effectus; ut quos in terra dignitas separavit, apud inferos poena consociet. Detracta est ad inferos superbia, vel gloria tua, et concidit cadaver tuum, sive ut LXX transtulerunt, multa laetitia tua, qua prius subjectis tibi gentibus laetabaris. Subter te sternetur putredo, et operimentum tuum erunt vermes. Haec requies diaboli, iste lectus tentatoris, qui in tantam erectus est superbiam, ut etiam Dominum auderet tentare dicens: Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me (Matth. IV, 9). Putredo et tinea, et operimentum vermium, vel poenae intelliguntur aeternae, quas propria gignit conscientia, vel suppliciorum materia, quae ex propriis peccatis nascitur. Sicut enim quamdiu cadaveris materia est, et aliquis humor in cadavere, vermes nascuntur ex putredine; sic ex ipsa materia peccatorum supplicia gignuntur. Unde et Apostolus Paulus interfecta morte, ad quam per Osee sermo propheticus loquebatur: Ero mors tua, o mors: ero morsus tuus, inferne (Osee XIII, 14), loquitur ad eam: Ubi est mors contentio tua? ubi est mors stimulus tuus (I Cor. XV, 55)? Illa enim mortua, non est qui succidat nos: nequaquam enim erit peccatum quod succidendum sit, quia stimulus mortis peccatum sit.

## (Vers. 12.)

Quomodo cecidisti de coelo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? LXX: Quomodo cecidit de coelo Lucifer, qui mane oriebatur? contritus est in terram qui mittebat ad omnes gentes. Pro Lucifero qui Hebraice dicitur ELIL, Aquila transtulit ululantem aurorae filium. Vere enim ululare debuit et ejulare, qui propter superbiam suam de coelo in terram praecipitatus est, atque contritus. Unde et Salvator ad discipulos loquitur: Videbam Satanam quasi fulgur de coelo cadentem (Luc. X, 18). Non modo video, sed prius videbam quando corruit. Et si ille propter superbiam de tanta magnitudine cecidit, vos quoque non debetis gloriari, quia vobis daemonia subjecta sunt: sed quia nomina vestra scripta sunt in coelo; ut unde ille cecidit per superbiam, vos ascendatis per humilitatem. Iste est princeps saeculi, qui inter stellas caeteras mane oriebatur, et suo vitio de Lucifero Vesper effectus est, et non oriens, sed occidens: qui vulnerabat gentes, sive qui mittebat ad gentes satellites suos, ut omnes sua fraude deciperet. Isti sunt falsi Apostoli, operarii mendaces, qui transfigurantur in Apostolos Christi, qui bono semini lolium superseminant, dormientibus Ecclesiarum magistris, et nolentibus aut nequeuntibus eorum malitiae resistere. Jacob autem, et Israel cujus misertus est, et quem elegit Dominus, haec adhuc loquitur ad diabolum, sive ut LXX volunt, de diabolo, id est, non ad secundam personam, sed ad tertiam.

## (Vers. 13, 14.)

Qui dicebas in corde tuo: in coelum ascendam, super sidera Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo.

Vel antequam de coelo corrueret, ista dicebat, vel postea quam de coelo corruit. Si adhuc in coelo positus, quomodo dicit, ascendam in coelum (Ps. CXIII, 16)? Sed quia legimus: Coelum coeli Domino, cum esset in coelo, id est, in firmamento, in coelum ubi solium Domini est, cupiebat ascendere, non humilitate, sed superbia. Sin autem postquam de coelo corruit, loquitur ista verba, arrogantiam debemus intelligere, quod nec praecipitatus quiescat, sed adhuc sibi grandia repromittat, non ut inter astra, sed super astra Dei sit. Cumque Dominus loquatur ad Apostolos: Sufficit discipulo, ut sit quasi magister, et servo sicut Dominus suus (Matth. X, 25), et dicat ad Patrem: Pater sancte, da, ut sicut ego et tu unum sumus, ita et isti in nobis unum sint (Joan. XVII, 11): iste in tantum sibi arrogat, ut super stellas coeli, quae non corruerunt, solium suum positurum esse se jactet. Quodque infert: Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis; pro quo LXX transtulerunt, in monte sublimi, super montes excelsos, qui sunt ad Aquilonem, ad illud referamus, quod in Jeremia dicitur: Ab Aquilone exardescent mala super omnes habitatores terrae (Jer. I, 14). Et quod olla succensa a facie Aquilonis accenditur. Iste est Aquilo ventus durissimus, a quo suos vult Dominus liberare captivos, et reducere in civitatem sanctam dicens: Dicam Aquiloni, adduc: et Africo, noli prohibere, adduc filios meos de terra longinqua (Inf. XLIII, 6). Illud autem quod huic potest esse contrarium, montes Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni, facile solvitur. Hi enim qui quondam erant in lateribus Aquilonis durissimi, postea per poenitentiam in civitate Dei esse coeperunt. Semper istiusmodi Lucifer quaerit ascendere super eos qui habent imaginem coelestis, et qui fulgent in Ecclesia sicut astra Dei: et sedere in monte pacti sive testamenti, id est, in Ecclesia, quae in sublimibus collocata est, et de lateribus quondam Aquilonis habitatores possidet. Qui in tantum oblitus sui est, ut velit super nubes ascendere, quibus mandavit Dominus, ne pluant super Israel imbrem, et ad quas pervenit veritas Domini, cui loquitur et Abdias: Si

exaltatus fueris ut aquila, et inter sidera coeli posueris nidum tuum, inde te detraham, dicit Dominus (Abdias, IV). Infelix Judas, qui quasi nubes cum aliis Apostolis mittebatur, ut plueret super Israel imbrem, et quasi stella inter caeteras stellas erat, quibus Dominus loquebatur: Luceat lumen vestrum coram hominibus (Matth. V, 16), vitio suo suscepit ascensorem diabolum, qui ut superbiae verba compleret, etiam hoc ausus est dicere: Ero similis Altissimo, ut quomodo Christus habet Prophetas et Apostolos suos, sic et ego habeam pseudoapostolos. Haec autem omnia referenda sunt ad haereticos, qui cum deorsum sint, cum principe suo excelsos se esse jactant.

## (Vers. 15.)

Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.

LXX: Nunc autem in infernum descendes, et ad fundamenta terrae. Non ad infernum sponte descendes, hoc enim Domini Salvatoris est, ut vinctos de inferis liberet, sed ad infernum detraheris invitus, ut qui per virtutes poteras ad excelsa conscendere, per vitia detraharis ad poenas. Sancti pennas habent aquilae, et pennas columbae, et possunt dicere: Volabo, et requiescam (Psal. LIV). Impii autem et Aegyptiorum similes, demersi sunt quasi plumbum in aquis vehementissimis, et demersi sunt in profundum sicut lapis (Exod. XV). Unde et iniquitas, sive ut melius habetur in Hebraeo, impietas super talentum plumbi sedere conspicitur (Zach. V). Ergo illud quod alibi legimus: Omnis qui se exaltat, humiliabitur (Luc. XVIII, 14), etiam rex confusionis passus est, ut detraheretur in fundamenta terrae, sive ut verius in Hebraico habetur, in profundum laci. De fundamentis terrae in Deuteronomio scribitur: Ignis succensus est in furore meo, ardebit usque ad infernum novissimum. Devorabit terram, et fundamenta ejus (Deut. XXXII, 22), eos videlicet qui terreni sunt. De

lacu quoque, quod per eum profunda significentur inferni, illa sunt testimonia: Assimilatus sum cum descendentibus in lacum. Et: Posuerunt me in lacum novissimum (Ps. LXXXVII, 5, 7). Sicut enim lacus aquas ad se descendentes, ita infernus animas suscipit: ad quem lacum descendit Banaias tempore nivis et frigoris, et interfecit in eo leonem (II Reg. XXIII, et I Par. XI). Unde et haeretici relinquunt fontem aquae viventis Dominum, et fodiunt sibi lacus contritos qui aquam non valeant continere. De his lacis, qui fervorem non habent Spiritus sancti; nec Jeremiae prophetae similes sunt, qui juxta Septuaginta interpretes loquebatur: Inveni aquam calidam in deserto (Jerem. II); sed refrigescente charitate, calorem Sancti Spiritus perdiderunt: ille est lacus, de quo idem Jeremias loquitur: Sicut refrigerat lacus aquam, sic refrigerat malitia habentes se (Jerem. VI, 7). Qui utinam, juxta Apocalypsim Joannis, aut calidi essent, aut frigidi (Apoc. III), id est, aut crederent, aut omnino non crederent, ne per teporem, et simulationem fidei a Domino rejicerentur!

## (Vers. 16, 17.)

Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient. Numquid iste est vir qui conturbavit terram? qui concussit regna? qui posuit orbem desertum, et urbes ejus destruxit, et vinctis ejus non aperuit carcerem?

Sive ut Septuaginta transtulerunt: eos qui ducebantur non solvit? Qui viderint Nabuchodonosor regem Babylonium, non oculorum, sed cordis intuitu, de coelo ad inferos corruisse, inclinabuntur humilitate, quae contraria est superbiae, et illum prospicient ista dicentes: Nonne iste est vir, sive homo, qui conturbavit, vel concitavit terram? Et est sensus: Qui dixerat: Ero similis Altissimo, et se jactabat Deum, homo esse convincitur, de quo in nono psalmo qui proprie contra diabolum est, dicitur: Exsurge, Domine, non confortetur homo (Ps. IX, 1).

Et in Evangelio: Inimicus homo superseminavit zizania (Matth. XIII, 25). Unde ad eum, et socios ejus dictum legimus: Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis (Psal. LXXXI, 6). Et ad eumdem sub figura principis Tyri dicitur: Pro eo quod exaltatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum, habitatione Dei habitavi in corde maris: tu autem es homo, et non Deus, et dedisti cor tuum sicut cor Dei (Ezech. XXVIII, 2). Iste vir, et iste homo conturbavit universam terram, eos videlicet qui audiunt cum Adam: Terra es, et in terram ibis (Gen. III, 19), et concussit regna sive reges, quorum cor in manu Domini est (Prov. XXI). Concussit, inquit, non subvertit. Unde et unus de his qui concussi fuerant, et tamen non ruerat, loquebatur: Mei autem pene moti sunt pedes (Psal. LXXII, 2). Et Apostolus loquitur ad credentes, ut arripiant armaturam Dei, et stent contra insidias diaboli (Ephes. VI). Domus autem quae supra petram fundata est, nulla tempestate concutitur (Matth. VII). Sequitur: Qui posuit orbem terrarum desertum, sive ut juxta Hebraicum, praeter LXX, omnes alii transtulerunt, quasi desertum. Vitiis enim atque peccatis orbem qui Hebraice dicitur THEBEL fecit esse desertum, ut nullam haberet virtutem, vel eisdem subjaceret vitiis, quibus gentium plena est solitudo. Urbes quoque ejusdem destruxit orbis, ut de Ecclesiis Christi faceret synagogas diaboli, et munditiam verae fidei haeretica sorde pollueret. Sed et vinctis ejus, id est, orbis, non aperuit carcerem. Nos omnes vincti eramus, et clausi tenebamur in carcere, quibus vinctis dixit Salvator, exite, et his qui erant in tenebris, revelamini. Dominum enim solvit compeditos. Qui liberati ab eo, gratias referunt dicentes: Tu dissolvisti vincula mea (Ps. CXV, 17; Jer. II, Prov. V). Funibus enim peccatorum suorum unusquisque constringitur: quos funes atque vincula solvere possunt et Apostoli, imitantes magistrum suum qui eis dixerat: Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo (Matth. XVIII). Solvunt

autem eos Apostoli sermone Dei, et testimoniis Scripturarum, et exhortatione virtutum.

## (Vers. 18, 19.)

Omnes reges gentium universi dormierunt in gloria, unusquisque in domo sua. Tu autem projectus es de sepulcro tuo sicut sanies: pollutus, involutus cum interfectis, et confossis gladio, qui descendunt ad lapides laci.

LXX: Omnes reges gentium dormierunt in honore, homo in domo sua. Tu autem projicieris in montibus sicut abortivum, abominabilis, et involutus cum interfectis gladio descendentibus ad fundamenta terrae. Reges gentium quibus Deus secundum Canticum Deuteronomii gentes crediderat gubernandas, qui concussi sunt a Nabuchodonosor, et tamen non subversi, quorum nequaquam regnat peccatum; sed quia cor eorum in manu Dei erat, minime corruerunt. Etenim Salvator, quomodo Deus deorum appellatur, sic Dominus dominantium, et rex regum. Isti igitur reges universi requieverunt in gloria sua, unusquisque in domo sua. Diversae quippe apud Patrem sunt mansiones (Joan. XIV): et pro varietate virtutum, habitationum differentiae. Porro Nabuchodonosor projectus est de sepulcro suo, nec in morte a cruciatibus conquievit. Projectus est autem quasi sanies, quae Hebraice dicitur NESER, quam Aquila ἰχῶρ interpretatus est, tabem videlicet et paedorem, quem Symmachus --- id est, abortivum, LXX mortuum, Theodotio germen: quamquam hoc ipsum verbum supra (Cap. XI, 1) ubi de Christo legimus: Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, LXX florem, Theodotio germen, Aquila ἀκρέμον , id est, virgultum, interpretati sunt. Proprie autem Neser dicitur virgultum, quod ad radices arborum nascitur, et ab agricolis avulsum quasi inutile projicitur, unde et nos stirpem inutilem transtulimus. Igitur Nabuchodonosor quasi stirps inutilis

incendio praeparatus, vel sicut sanies pollutus, et involutus his qui ab eo interfecti sunt gladio, et descenderunt usque ad fundamenta laci, detrahetur in profundum, et ne cum his quidem habebit consortium sepulturae quos interfecit. Alterius enim poenae est auctor delicti, et alterius qui ab auctore compulsus est. Iste est gladius quo vulnerati sunt plurimi, et interfecti, de quo in septimo psalmo legimus: Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit eum. Et in ipso paravit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit (Psal. VII, 13, 14), his videlicet, qui in suum cor ignita diaboli jacula susceperunt. Porro juxta LXX, cadaver Nabuchodonosor cum plurimis interfectis pollutum atque confossum jacebit in superbiae montibus, et deducetur ad inferos. Fundamenta autem laci, pro lapidibus laci, interpretatus est Symmachus, ut aliis verbis profundum, et tartarum significaret inferni.

## (Vers. 20.)

Quasi cadaver putridum non habebis consortium neque cum eis in sepultura. Tu enim terram tuam disperdidisti, populum tuum interfecisti.

LXX: Quomodo vestimentum commixtum sanguine non erit mundum, sic nec tu eris mundus, quia terram meam perdidisti, et populum meum interfecisti. Quia multum inter se Hebraicum distat, et LXX editio, separatim de singulis disseramus. Sicut cadaver putridum, sive ut Aquila transtulit, conculcatum, non habebis consortium sepulturae, nec cum his quidem quos interfecisti. Tu enim magister es, illi fuere discipuli: et cui plus creditum est, plus exigitur ab eo. Tu enim terram tuam disperdidisti, populum tuum occidisti, eos videlicet qui tibi crediti sunt gubernandi. Unde ad Salvatorem audet dicere: Haec omnia mihi tradita sunt, et dabo tibi ea, si procidens adoraveris me (Matth. IV, 9). Cadaver autem diaboli putridum, ob magnitudinem peccatorum

dubitare non poterit, qui legerit peccatum esse fetidissimum, ipso peccatore dicente: Computruerunt et corruptae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae (Psal. XXXVII, 6). E contrario virtus boni odoris est: unde et spiritualium fratrum dilectio comparatur unguento, quod descendit super barbam, barbam Aaron, et super oram vestimenti ejus (Psal. CXXXII). Et ad sponsam sponsus loquitur: Odor tuus suavis, et facies tua speciosa (Cant. II, 14). Quomodo autem cadaver diaboli spiritualiter conculcetur, illud Apostoli docet nos: Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter (Rom. XVI, 20). Et Domini verba dicentis: Quasi lutum platearum delebo eos (Psal. XVII, 43). Iste quia terram sibi creditam perdidit, et commissum sibi populum trucidavit, nequaquam eos vivos reservans Deo, sed socios suae praeparans sepulturae: propterea non erit, nec vocabitur in aeternum semen pessimorum. Porro juxta LXX hunc habet sensum: o Lucifer qui mane oriebaris, qui quando habebas opera virtutis et luminis, vestimentum eras Dei, et de te dici poterat: Amictus lumine sicut vestimento (Psal. CIII, 2): quia multos interfecisti gladio, qui descenderunt ad infernum, et eorum pollutus es sanguine, nequaquam vocaberis vestimentum Dei, sed vestimentum cruore permixtum, non maculatum atque pollutum, ut aliquid mundi habere videaris, sed totum sanguine cruentatum. Et hoc notandum quod ad diabolum dicatur: sicut vestimentum commixtum sanguine non erit mundum, sic et tu non eris mundus. Ubi sunt ergo qui dant diabolo poenitentiam, et dicunt illum posse mundari? Nec statim latemur haeresim, quae diversas asserit esse naturas; et aliam esse quae numquam recipiat sanitatem. Non enim hoc vestimentum per se immundum est, et ita a Deo conditum, quo olim Deus vestiebatur; sed quia commixtum ex sanguine, et totum se polluit suo vitio, et malis accedentibus, non erit mundum. Et propterea non erit mundum, quia terram Domini perdidit, populum ejus interfecit, terram Judaeae id est terram confessionis et sanctos quosque perdens atque interficiens: et ideo non

manebit in perpetuum. Unde et in Evangelio dicitur: Ite in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis ejus (Matth. XXV, 41). Quomodo autem sanctus vestimentum Dei est, et vestimentum novum, et vestitur tunica salutis atque laetitiae, dicens: Exsultet anima mea in Domino: induit enim me vestimento salutis, et tunica laetitiae circumdedit me (Isa. LXI, 10): sic e contrario peccator, qui portat imaginem veteris hominis atque terreni, meretur audire: Ecce omnes vos quasi vestimentum veterascemini, et tinea devorabit vos (Isa. L, 9). Qui autem profecerit in scelere, et vetustatem noluerit emundare novitate, nequaquam veteri vestimento, sed panno menstruatae mulieris comparabitur dicens: Erravimus, et facti sumus immundi omnes nos, sicut pannus menstruatae universa justitia nostra.

## (Vers. 21, 22.)

Semen pessimorum, praeparate filios vestros occisioni iniquitatum patrum suorum: non consurgent nec haereditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum. Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum: et perdam Babylonis nomen et reliquias, et germen, et progeniem, ait Dominus exercituum.

LXX: Semen pessimum, praepara filios tuos occisioni peccati patris tui: ut non consurgant et possideant terram, et impleant terram civitatum. Et insurgam eis, dicit Dominus Sabaoth: et disperdam nomen eorum et reliquias et semen. Pro semine pessimo, quod LXX transtulerunt, in Hebraico scriptum est ZERA MRIM quod caeteri semen pessimorum interpretati sunt. Non quod ipsum semen per seipsum malum sit: Deus enim omnia fecit bona (Genes. I); sed ab his, qui sua voluntate sunt pessimi, semen ortum sit malum, quod voluntate fit, non natura: Unde et in S. Daniele legimus: Semen Chanaan et non Juda (Dan. XIII, 56). Et de bonis filiis dicitur ab Apostolo: In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui (I

Cor. IV, 15). Et in Evangelio: Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem ut filii Dei fierent (Joan. I, 12). Omnis enim qui facit peccatum, de diabolo est. Huic igitur praecipitur semini, ut filios suos, omnes scilicet cogitationes pessimas, et opera mala, praeparet occisioni, quae ex impiis nata sunt patribus, haud dubium quin contrarias significet fortitudines. Qui pessimi filii ideo trucidantur in iniquitatibus patrum suorum, ne ultra consurgant et possideant terram, quae a sanctis possidenda est et implenda, ut civitates in ea Domini construantur. Et quia non est hominum perfecta victoria: Nisi enim Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilabunt qui custodiunt eam (Psal. CXXVI, 2): ideo Dominus ipse consurget adversus filios pessimorum, et disperdet de confusione nomen eorum et reliquias, et omne germen et progeniem, ne ultra pullulent in urbibus Domini. Legimus in Evangelio (Joan. VIII), quod diabolus ab initio mendax sit et pater ejus, id est, mendacii, quod multi non intelligentes, patrem diaboli volunt esse draconem, qui regnet in mari, quem Hebraei appellant Leviathan. Et hoc putant loco convenire praesenti juxta LXX Interpretes, qui dixerunt: pro peccatis patris tui: cum perspicue in Hebraeo, ABOTHAM non patris tui, sed patrum suorum significet.

## (Vers. 23.)

Et ponam eam in possessionem hericii, et in paludes aquarum: scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum.

LXX: Et ponam Babyloniam desertam, dicit Dominus, ita ut habitent in ea hericii, et erit in nihili. Et ponam eam luti voraginem, in perditionem. Cum perdiderit Dominus exercituum nomen Babylonis, et reliquias, et germen, et universam progeniem, non erit ejus perditione contentus, nisi dederit eam possessionem hericii, et paludes aquarum, et scopaverit eam non leviter, et fortuito: sed

terens ut nihil in ea antiquarum sordium resideat. In Actibus Apostolorum scribitur (Act. X et XI), in vase illo linteo, quod quatuor demissum principiis pendebat e coelo, omnia genera quadrupedum, et reptilium, et volatilium contineri, quod postea Apostolus disserens, Deus, inquit, ostendit mihi nullum hominem immundum dicere. Mores ergo hominum in diversis animantibus monstrabantur, sicut Pharisaei et Sadducaei propter nequitiam appellantur genimina viperarum, et propter dolos Herodes vulpes dicitur (Luc. III et XIII); et luxuriosi pronique ad voluptatem, equi appellantur, insanientes in feminas (Jerem. V): Et, nolite fieri sicut equus et mulus, in quibus non est intelligentia (Psal. XXXIV). E contrario innocentes, columbae vocantur et oves. Igitur juxta doctrinam Domini Salvatoris, qui curas istius saeculi et seductionem divitiarum spinas appellavit, hericius mihi videtur, qui juxta Apostolum, gaudet in incerto divitiarum (I Tim. VI), et armatum se non armatura Dei, sed spinis atque peccatis hujus mundi esse confidit, cui rectissime dicitur illud Evangelicum: Stulte, hac nocte auferetur anima tua a te, quae autem parasti cujus erunt (Luc. XII, 20)? Tales habitatores habet Babylon deserta virtutibus, ubi non est ager irriguus, qui afferat fructus diversorum seminum, sed paludes infertiles, et limosae ac lutosae, in quibus coeno gaudentia reptant animalia. Quamobrem clementissimus Dominus scopavit eam vehementissime terens, et quasi quodam everriculo ad purum usque mundavit, ut Babylonia semina pereant, et a solis habitentur hericiis. Quando viderimus aliquem divitiarum immersum luto, et ut LXX interpretati sunt, barathro, hoc est profunda voragine, et quasi coenosa palude circumdari, non dubitemus eum appellare hericium, habitatorem desertae Babylonis.

## (Vers. 24, 25.)

Juravit Dominus exercituum dicens, si non ut putavi ita erit, et quomodo mente tractavi sic eveniet, ut

conteram Assyrium in terra mea, et in montibus meis conculcem eum. Et auferetur ab eis jugum ejus, et onus illius ab humero eorum tolletur.

Postquam hericius habitaverit in deserta Babylone, et pro agris irriguis ac fertilibus paludes cuncta operuerint: ita ut nihil pristini seminis et abundantiae in Babylone resideat, juramentum Domini complebitur, et eveniet quod mente tractavit, ut conteratur Assyrius in terra ejus, et in montibus illius conculcetur. Hostis quippe temerarius, non solum terram Dei et humiliora quaeque occupare festinat, sed etiam eos, qui in Dei servitute virtutibus profecerunt, ita ut montibus comparentur, et dicatur de eis: Fundamenta ejus in montibus sanctis (Ps. LXXXVI, 1). Et nota proprietatem. In terra conteritur: in montibus Dei ab ipso Domino conculcatur. Cum enim omnes inimici positi fuerint sub pedibus Christi, ita ut novissima destruatur mors, tunc auferetur a sanctis gravissimum jugum Assyrii, quo eos ante depresserat, et onus, sive ut LXX transtulerunt --- id est, gloria, ab humero eorum tolletur, ut sublato jugo Assyriorum videant requiem, quia bona est, et terram, quia uberrima est, et supponant cervices suas jugo Christi ad laborandum, et fiant viri agricolae. Unde et Issachar qui interpretatur est merces, ex virtutibus nomen accepit. Et in Propheta legimus: Est merces his qui serviunt Domino (Jerem. XXXI, 16); et in alio loco: Ecce Dominus, et merces ejus cum eo (Isai. XL, 10), qui reddet unicuique secundum opus suum. Quod autem conterantur et conculcentur Assyrii, id est, contrariae fortitudines, et illud Evangelicum docet: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici (Luc. X, 19). Et Apostoli verba testantur: Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter (Rom. XVI, 20).

## (Vers. 26, 27.)

Hoc consilium quod cogitavit super omnem terram, et haec manus extenta super universas gentes. Dominus enim exercituum decrevit, et quis poterit infirmare? Et manus ejus extenta, et quis avertet eam?

Pro omni terra LXX universum orbem interpretati sunt in fine oneris vel visionis contra Babylonem. Quod latebat aperitur, Deum cogitasse consilium super omnem terram, id est, orbem terrarum, et non contra terram tantum Chaldaeorum et regem Assyrium atque Chaldaeum: et extentam sive elevatam manum ejus super omnes gentes, et non super unam gentem Babyloniam. Ex quo ostenditur, cuncta quae dicta sunt non ad unam provinciam specialiter, sed contra orbem terrarum generaliter pertinere. Quodque dicitur: Quis poterit infirmare, et quis avertet eam? non pro difficili debemus accipere, sicut illud legitur: Quis sapiens et intelliget haec (Ps. CVI, 43)? Et: Quis, putas, est fidelis et prudens dispensator (Luc. XII, 52)? et caetera his similia; sed pro impossibili. Nullus enim poterit Domini infirmare consilium, et manum ejus extentam sive sublimem, ne percutiat, avertere.

## (Vers. 28, seqq.)

In anno quo mortuus est rex Achaz, factum est onus istud. Ne laeteris, Philisthaea omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui. De radice enim colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbens volucrem. Et pascentur primogeniti pauperum, et pauperes fiducialiter requiescent, et interire faciam fame radicem tuam, et reliquias tuas interficiam.

LXX: Anno quo mortuus est rex Achaz factum est verbum istud: Ne laetemini, alienigenae omnes, contritum est enim jugum ejus qui percutiebat vos. Siquidem ex semine serpentis egredientur genimina aspidum, et ex geniminibus eorum egredientur serpentes pennati, et pascentur pauperes per eum, et pauperes homines in

pace requiescent. Interficiet autem in fame semen tuum, et reliquias tuas occidet. Mortuo Achaz, qui interpretatur --- id est, obtentio, sive possessio, quem regem impiissimum legimus, fit pondus istud super Philisthiim, sive verbum. Vivente enim illo, et regnante in peccatoribus, nec pondus contra alienigenas, nec sermo Dei fieri poterat ad Prophetam. Quod quidem et supra dixisse me memini, quando Ozia mortuo, vidit Isaias Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum. Et in Exodo legimus (Exod. XXII), quod postquam mortuus est rex Aegypti, ingemuerint filii Israel ab operibus suis, et exclamaverint, et ascenderit clamor eorum ab operibus, et exaudierit Dominus gemitus eorum. Nisi enim esset mysticum quod dicebatur, illo magis regnante clamare debuerant, quando luto et lateribus deserviebant. Praecipitur ergo Philisthiim, quos nunc Palaestinos vocant, et semper a LXX --- id est, alienigenae transferuntur; et dicitur eis ne gaudeant neque laetentur, quoniam contriverint virgam, vel jugum percussoris sui (Hebr. XII, 6). Quem enim diligit Dominus corripit, et castigat omnem filium quem recipit. Et quasi filios nos erudit Deus, quando visitat in virga iniquitates nostras, et in flagellis peccata nostra, ut misericordiam non auferat a nobis (Ps. LXXXVIII). Haec est virga de qua in alio Psalmo scribitur: Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt (Ps. XXII, 4). Haec est virga, et hoc jugum quod cervicibus omnium vult Salvator imponere, ut deposito jugo Nabuchodonosor, portent jugum Christi. Quod si quis abjecerit atque contriverit, statim de semine sive radice serpentis, qui est coluber tortuosus, egredientur regulus et aspides, et de aspidibus exibunt serpentes volantes, sive qui absorbeant volucres. Abjecto autem jugo Dei, et contrita Domini disciplina, primum in cogitationibus nostris semen colubri radicatur, secundo de semine pessimo nascitur regulus, qui rex serpentium est, et afflatu suo atque conspectu homines occidere dicitur: sive genimina aspidum, de quibus in Psalmo dicitur: Venenum aspidum sub labiis eorum (Ps. XIII, 3; et

CXXXIX, 4), quae peccata sunt varia, et de cogitationum pessimo thesauro in mala opera prorumpunt. Cumque regnaverint in hominibus alienigenis, qui a Deo alieni sunt, statim egrediuntur serpentes pennati; ut non sufficiat eis cogitasse, et fecisse quae mala sunt, nisi patrocinium quoque malorum operum quaesierint, et diversas finxerint haereses. Ego puto serpentes esse pennatos, qui se exaltant et elevant contra scientiam Dei, et ponunt in coelum os suum: vel qui absorbent volucres, hoc est, qui venenato ore singulos quosque volare cupientes, et ad excelsa consurgere, suis faucibus devorant. Et hoc interim de malis. Caeterum qui non contriverunt virgam et jugum percussoris sui, sed cervicem suam Domino subjecerunt, et sunt pauperes spiritu, pascentur, et dicent: Dominus pascit me, et nihil mihi deerit (Ps. CXXII, 1). Et a Domino audient: In pascuis uberrimis pascam eos (Ezech. XXXIV; Joan. X); et ingredientur et egredientur, et pascua invenient. Et pascentur pauperes per eum, qui eos percutit, ut emendet: et in pace requiescent, sive, pastore sollicito, ipsi agent fiducialiter, et cum Lazaro requiescent in sinu Abrahae (Luc. XVI). Qui autem contriverunt jugum et virgam percussoris sui, famem perpetuam sustinebunt; ut non alantur sermone Dei: sed omnes eorum reliquiae intereant, ne quid de malo semine germinetur.

## (Vers. 31, 32.)

Ulula porta, clama civitas: prostrata est Philisthaea omnis. Ab Aquilone enim fumus venit: et non est qui effugiat agmen ejus. Et quid respondebitur nuntiis gentis, quia Dominus fundavit Sion, et in ipso sperabunt pauperes populi ejus? Pro nuntiis, id est, Angelis, quos solus Symmachus transtulit, omnes reges interpretati sunt, verbi ambiguitate decepti, quia praeter unam litteram ALEPH, quae in Angelorum vocabulo addita est, eodem reges et Angeli apud Hebraeos appellantur nomine, id est, MALACHE, Angeli. In libro Hebraicorum

Nominum reperi Philisthiim interpretari cadentes poculo. Qui ergo inebriati sunt calice Babylonis, et biberint vinum in quo est luxuria; et inter caetera vitia propter ebrietatem regnum Dei juxta Apostolum non fuerint consecuti (Ephes. V), his praecipitur, ut porta eorum ululet, et clamet civitas. Portam, haereticorum os arbitror, quo blasphemant: civitatem, animam, quae malarum cogitationum thesaurus est. Haec ululare debet et plangere, quia omnis prostrata est, in terramque dejecta, et nihil in ea sanae intelligentiae est Deique sapientiae. Quare ululat porta? quam ob causam clamat civitas? quia prostrata est omnis Philisthaea. Curque prostrata sit, sequens versus ostendit: Ab Aquilone fumus venit, et non est qui effugiat agmen ejus. Fumus iste ardentibus diaboli jaculis suscitatur, qui noxius est oculis, et contrarius lumini, et ab Aquilone oritur, a quo in Jeremia olla succenditur (Jerem. I, 14), et a quo exardescunt mala super omnes habitatores terrae, qui non possunt dicere: Accola sum et peregrinus, sicut omnes patres mei (Ps. CXVIII, 19); sed in terra habitant. Unde et in Proverbiis legitur: Aquilo ventus durus (Prov. XXV, 23; Eccli. XLIII). Nomine autem alio dexter vocatur, qui cum per se durus sit et sinister, et cervice durissima jugum Dei nolit recipere, vocatur dexter ab his qui ponunt dulce amarum, et amarum dulce; qui ponunt tenebras lucem, et lucem tenebras. Et nullus est, qui fumi hujus agmen effugiat; nemo enim absque peccato, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus (Job. XXV). Cumque Philisthaea corruerit, et fumus ejus universa penetrarit, ita ut eum nullus possit effugere, quid dicetur Angelis, qui singulis praesunt gentibus, admirantibus et scire cupientibus, cur sola Sion in specula et in sublimibus collocata amaritudinem fumi hujus evaserit? Quid igitur dicetur eis? Nempe hoc quod sequitur: Quia Dominus fundaverit eam, et ipse sit fundamentum ejus. Fundaverit autem eam super fundamentum prudentiae, justitiae, fortitudinis, et temperantiae, sub quibus nominibus Christus intelligitur, de quo et Apostolus ait: Fundamentum enim aliud nemo

potest jacere, praeter eum qui positus est Jesum Christum (I Cor. III, 11). Qui autem fatuus est, et stulta loquitur, et cor ejus vana intelligit, aedificat domum suam super arenam, quae non habet fundamentum. In hac ergo Sion, quae fundata est a Domino, sperabunt pauperes sive mansueti, et humiles populi ejus, de quibus dicitur: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (Matth. V, 4): et qui audierunt Dominum loquentem: Discite a me quia mansuetus sum, et humilis corde (Matth. XII, 29). Qui ante gloriam humiliati sunt, et audierunt dicentem apostolum Petrum (I Petr. V, 6): Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Pauperes autem ipsi sunt, de quibus supra legimus: Pascentur primogeniti pauperum, et pauperes fiducialiter requiescent.

## (Cap. XV.---Vers. 1.)

Onus Moab.

LXX.: Verbum contra Moabitidem. Symmachus et Theodotio: Assumptio Moab. Quomodo circumcisio et carnalis est, et spiritualis et de spirituali ab Apostolo dicitur: Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu Deo servimus, et gloriamur in Domino, et non in carne confidimus (Philipp. III, 3); et rursum ad distinctionem spiritualis Israelis, dicitur de carnali: Videte Israel secundum carnem (Cor. X, 18): et, Vos gentes in carne (Ephes. II, 11); sic Moab accipiendus est spiritualiter, qui interpretatur de patre, sive aqua paterna, de incestu, et ebrietate conceptus, quod quodammodo absente, immo nesciente patre, videretur esse generatus. In multis Scripturarum locis de Moab legimus, et maxime in Numerorum volumine, quando Balac rex Moabitarum ad maledicendum, Balaam invitavit hariolum, qui inter caetera etiam hoc contra Moab mysticum prophetavit: Orietur stella ex Jacob, et consurget homo ex Israel, et percutiet principes Moab (Num. XXIV, 17).

## (Vers. 1).

Quia nocte vastata est Ar, Moab conticuit; quia nocte vastatus est murus, Moab conticuit.

LXX: Nocte periit Moabitis, nocte enim periit murus Moabitidis. Pro AR, quod solus Theodotio ita posuit, ut legitur in Hebraeo, Aquila et Symmachus, urbem interpretati sunt, non considerantes, quod inter AIN et RES elementa Hebraica, JOD litteram non haberet, quae si esset, recte civitas diceretur. Sapientia saecularis, de qua Dominus loquitur per Prophetam: Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo (Abdiae 8; I Cor. I, 19): quia auctorem sui sensum habet, qui ex conditione Dei generatur, videtur quidem de patre nasci, quod interpretatur Moab; sed quia adulter est, et adversarius populo Dei, de incestu, et spelunca ac nocte generatur. Unde in nocte periit, in errore scilicet sempiterno. Et Aegyptii in mari Rubro vigilia matutina, quae nocturnum tempus ostendit, fluctibus obruti sunt (Exod. XIV). Et Lot, Sodomitis nocte pereuntibus, venit in Segor, et ortus est ei sol (Gen. XIX). Quod intelligens beatus Apostolus scribit de sanctis atque perfectis (I Thess. V, 6, 7): Non sumus noctis, neque tenebrarum, sed sumus filii diei. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, et qui inebriantur, nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus, vigilemus induti lorica fidei et charitatis. Et quia noctem reliquerat, et filius diei esse jam coeperat, loquitur ad credentes: Nox praecessit, dies autem appropinquavit, quasi in die cum honestate ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et luxuria (Rom. XIII, 12). Pereunte autem nocte Moabitide, etiam murus ejus, qui dialectica arte constructus est, in eadem nocte vastatus est atque destructus, et aeterna taciturnitate conticuit. Porro Ar, quod interpretatur --- id est, adversarius, hoc ostendit, quod haec sapientia, quae adversaria Dei est, Ecclesiastico sermone contra se pugnante, superata sit.

## (Vers. 2.)

**Ascendit domus, et Dimon ad excelsa in planctum.**

**LXX: Contristamini in vobis, peribit enim Dimon, ubi ara est: illuc ascendetis ad plorandum. Omnis domus adversae sapientiae, et Dibon, quae interpretatur fluxus eorum, ascendit excelsa, in quibus superbierat: non ut hostias immolet, sed plangat in quibus ante peccaverat. Et revera mendacium instar fluminis transit, et praeterfluit, et numquam potest stabili mansione consistere. Sermo autem Dei, qui compactus est, stabilis est. Unde et manna, quod videtur quasi glacies super faciem terrae, non praeterfluit, sed consistit. Porro juxta LXX, Moabitae moerere jubentur et plangere, non super aliis, hoc enim perfectorum est super semetipsis, quia et Dibon eorum, id est, sermo compositus, qui fluebat more torrentis, periturus sit: in quo habebant quasi aram consecrationis suae, et omnes divitias saeculares. Unde et in psalmo dicitur: Divitiae si affluant, nolite cor apponere. Initium autem salutis est, sua intelligere et flere peccata.**

## (Vers. 3 seqq.)

**Super Nabo et super Medaba Moab ululabit: in cunctis capitibus ejus calvitium, omnis barba radetur. In triviis ejus accincti sunt sacco: et super tecta ejus et in plateis ejus omnis ululatus: descendet in fletum. Et clamabit Esebon et Eleale: usque ad Jasa audita est vox eorum: super hoc expediti Moab ululabunt: anima ejus ululabit sibi. Cor meum ad Moab clamabit: vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem: per ascensum enim Luith flens ascendet, et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt: aquae enim Nemrim desertae erunt: quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit. Secundum magnitudinem operis, et visitatio eorum: ad**

torrentem salicum ducent eos: quoniam circumit clamor terminum Moab: usque ad Agallim ululatus ejus, et usque ad puteum Elim clamor ejus: quia aquae Dimon repletae sunt sanguine.

Ponam enim super Dimon additamenta his qui fugerint de Moab leonem, et reliquiis terrae. Quia omnis prophetiae hujus pene unus est sensus, ne eam per partes proponendo lacerarem, simul universam posui, et quid mihi secundum anagogen videatur in singulis, brevi sermone percurram, Nabo interpretatur sessio vel prophetia: Medaba, de saltu: Esebon cogitationes: Eleale, ascensio: Jasa, factum sive mandatum: Segor, parva: Luith, genae: Oronaim, foramen moeroris: Nemrim, pardi sive praevaricatores: Agallim, vituli vel arenarum tumuli: Elim, arietes sive fortes; Dimon, sufficiens moeror. Quia igitur omne dogma contrarium veritatis, quod absque inspiratione Dei de humano sensu in erroris tenebris nascitur, nocte vastatum est, et argumenta illius, quae intelliguntur muri, Ecclesiastico sermone destructa sunt; ita ut aeterno silentio conticuerint, in tantum ut universa eorum factio, ad poenitentiam et lacrymas verteretur, super Nabo, id est, prophetiam et sessionem, id est, magistros eorum, et super Medaba, ubi non sunt arbores fructuosae, sed saltus infertilis, in quo habitant bestiae, de quo in vicesimo octavo psalmo scriptum est: Et revelabit condensa saltus: erit ululatus et planctus, et omnia de capitibus eorum eloquentiae ornamenta tollentur; ita ut nudi maneant et deformes. Et si quid virilitatis habere videbantur in barba, rasum a viro Ecclesiastico, effeminatum et debile comprobetur. In triviis quoque eorum, id est, diverticulis errorum, dum pro voluntate sua fingit unusquisque quod voluerit, accingitur sacco poenitentiae, et super tecta ac domata, in quibus primum se sublimes esse credebant; et in plateis (quia non ingrediuntur per angustam viam, quae ducit ad vitam, sed per latam, quae ducit ad mortem) erit ululatus. Et nequaquam ascendent in superbiam, sed descendent in

fletum Tunc intelligent omnes cogitationes suas vanas, quod interpretatur Esebon, et cassum ascensum superbiae, quod Eleale sonat, ut vox eorum audiatur usque ad mala opera quae fecerunt, et mandatum quod putabant Dei, propria se confessione damnantes. Propterea vectes, id est, qui firmi fuerint in Moab, et errorem suum intellexerint, ululabunt, et spem habere profectus incipient, cum anima eorum ululaverit sibi. Unde Propheta compatientis affectu loquitur ad eos, quorum anima ululabat sibi, et dicit: Cor meum ad Moab clamabit, ut eos ad poenitentiam provocem. Vectes autem eorum et omnia firmamenta, quae habere in haeresibus videbantur, ad Segor, hoc est, ad parvulum usque pervenient: et ostendentur non robusti esse, sed fragiles. Haec autem Segor, hoc est, parva poenitentia si perseveraverit, perducet eos ad perfectam salutem: quod vitula trium annorum significat, juxta illud quod in Genesi legimus, ubi praecipitur Abraham, ut offerat vitulum, arietem, et hircum trium annorum, perfectum scilicet sacrificium, ut haeres Domini esse mereatur (Genes. XV). Cumque egerint poenitentiam, per Luith, id est, genarum lacrymas ad altiora conscendent. Et hoc quasi moeroris foramine atque introitu, clamorem contritionis levabunt ad Dominum, ut possint dicere: Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despiciet (Ps. L, 19). Et hoc fiet, quia aquae Nemrim, id est, doctrina haereticorum, quae pardis et praevaricatoribus comparatur, deserta erit, et deducetur ad nihili. Pardi sunt, quorum in Jeremia varietates et maculae non mutantur (Jerem. XIII), et apostatae, de quibus in Psalmis legimus Praevaricatores reputavi omnes peccatores terrae (Ps. CXVIII), 119). Omnis quoque herba et germen, et quidquid in sermone eorum viride videbatur, exaruit. Et secundum magnitudinem peccatorum a Deo visitati sunt: ut quem per beneficia non senserant, per flagella cognoscerent. Denique ducentur ad vallem sive torrentem salicum, ut nullus in eis fructus remaneat. Hanc enim seminis harum arborum dicunt esse

naturam, ut qui illud in poculo hauserit, liberis careat. Unde et sancti qui propter peccata in confusione hujus mundi esse coeperunt, in salicibus Babyloniorum fluminum suspendunt organa sua (Ps. CXXXVI). Omnes terminos Moabitarum clamor circumit, vel provocantium ad poenitudinem, vel pro errore plangentium: ut offerre possint per ululatum suum vitulos labiorum, et usque ad fontem Dominicorum arietum pervenire, sive fortium: quia Elim utrumque significat. Aquae autem Dimon, quod interpretatur sufficiens dolor, sive moeror, quae multos sua aspersione polluerant, arguentur deceptis populis non saluti fuisse, sed sanguini. Unde propheticus sermo promittit, ut super fluentes lacrymas, quod interpretatur Dibon, non unum moerorem, sed plura moeroris additamenta congeminent: ut postquam plenam egerint poenitentiam, et fugerint de Moab leonem, principem habeant Deum, quem LXX dixerunt ariel, qui interpretatur leo Dei: quorum editionem in hoc loco disserere supersedi, quia et in plurimis ab Hebraica veritate discordat, et ex his quae interpretati sumus, etiam illius sensus potest intelligi.

## (Cap. XVI.---Vers. 1.)

Emitte agnum dominatorem terrae, de petra deserti, ad montem filiae Sion. Et erit sicut avis fugiens: et pulli de nido avolantes: sic erunt filiae Moab in transcensu Arnon. Ini concilium: coge concilium: pone quasi noctem umbram tuam in meridie: absconde fugientes, et vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei, Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris. Finitus est enim pulvis: consummatus est miser: defecit qui conculcabat terram. Et praeparabitur in misericordia solium: et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David: judicans et quaerens judicium; et velociter reddens quod justum est.

Hoc quod de Hebraeo interpretati sumus: emitte agnum dominatorem terrae, potest ita legi: emitte agnum

dominatori terrae, quo scilicet non ipse agnus dominator sit terrae, ut juxta historiam interpretati sumus: sed dominatori terrae agnus sit immolandus. Iste igitur agnus, qui vel ipse est dominator terrae, vel immolatur dominatori terrae, de gente Moabitarum est, et de his qui fugerint de Moab, et leonem habere meruerint principem. Significat autem Ruth, de qua generatus est Christus (Matth. I, 5), quam vocat petram deserti, quia juxta praeceptum Dei, Moabitae et Ammonitae, usque ad decimam generationem, et usque in aeternum non ingrediuntur Ecclesiam Dei (Deut. I). Qui autem fugerit de deserto Moab, ut a prophetia revertamur ad anagogen, et contempto mendacio, in monte steterit veritatis, erit quasi avis fugiens; et quasi pulli de nido avolantes, ne a Moabiticis serpentibus devorentur. Sic, inquit, erunt omnes filiae, hoc est, animae Moabiticae, in transcensu Arnon, quod interpretatur illuminatio eorum: quando erroribus derelictis ad scientiam transcenderint veritatis. Dicitur itaque ipsi Moab, vel ei qui evaserit de Moab: Nihil agas absque consilio (Prov. XIII): nec circumferaris omni vento doctrinae, sed sequere eum qui magni consilii Angelus est (Ephes. IV): Et coge concilium, ut de vagis et errantibus Dei Ecclesiam facias. Umbraculum autem tuum et tabernaculum, in quo prius requiescere te putabas, quod erat noctis et tenebrarum, pone in meridie, hoc est, in clarissimo lumine, in quo abscondere debes de errore fugientes, et prius vagos ultra non prodere. O enim Moab, profugi mei qui me dereliquerant, qui de Ecclesia egressi erant, et dimittentes doctrinam Spiritus sancti, suum sensum sequebantur; vel qui habitaverant apud te, cum eos coeperit vastator diabolus persequi, tu eis ad Domini timorem tota mente conversa praebeto latebras: et scito, quod post adventum Agni, qui de petra deserti ortus est dominator universae terrae; et venit ad montem filiae Sion, finita sit omnis potentia diaboli, quae pulveri comparatur. Et consumptus est miser, qui multos fecit miseros: et defecit qui conculcabat omnem terram, eos videlicet qui terreni erant. Illo autem consumpto, et

redacto ad nihili, et penitus deficiente, praeparabitur solium et regnum sempiternum. Primum in misericordia (omnes enim (Rom. III) sub peccato sumus: et indigemus gratia Dei); et sedebit in tabernaculo David, quod corruerat et suscitatum est, qui post misericordiam judicet, et quaerat justitiam, et reddat unicuique secundum opera sua. Consideremus a principio vel Oneris, vel sermonis Moab, in quo dicitur: Nocte vastata est Ar Moab, et caetera usque ad hunc locum; et videbimus quomodo per gradus et ordinem poenitentiae de Moabitis Israelitae fiant: et fugiant quasi aves, et avolent quasi pulli de nido, ut transcendant per Arnon, et habitent in monte filiae Sion: et omni diaboli vel Antichristi potestate contrita, Christus regnet in his, et ponat solium suum qui misericordia justitiaque salvati sunt. Non enim pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio (Joan. V).

## (Vers. 6 seqq.)

Audivimus superbiam Moab.: superbus est valde. Superbia ejus, et arrogantia ejus, et indignatio ejus, plus quam fortitudo ejus. Idcirco ululabit Moab ad Moab, universus ululabit: his qui laetantur super murum cocti lateris, loquimini plagas ejus: quoniam suburbana Esebon deserta sunt, vinea Sabama.

LXX: Audivimus injuriam Moab: contumeliosus est valde: superbia ejus, et injuria ejus, et furor non sicut divinatio tua: non sic ululabit Moab: siquidem in Moab omnes ululabunt: habitatoribus autem Deseth meditaberis: et non confunderis: campi Esebon lugebunt vineam Sabama. Quantis obscuritatibus locus iste juxta LXX Interpretes involutus sit, ex eo perspicuum est, quod legi vix potest. Dicamus ergo juxta Hebraicum, Moris est Scripturarum, ut postquam desperationem mentis humanae, laeto nuntio sublevaverint, rursum negligentes et nolentes agere poenitentiam comminatione

deterreant, ne bonitas Dei induret cor nostrum. Cujus rei unum tantum ponamus exemplum. In centesimo quadragesimo quarto psalmo legimus: Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera illius (Psal. CXLIV, 9). Et post paululum: Sustentat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos. Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam eorum in tempore opportuno. Cumque praemisisset, custodit Dominus omnes diligentes se; ne negligentem faceret auditorem, intulit: Et omnes peccatores disperdet. Quia igitur consummato Antichristo et parente ejus diabolo, qui conculcabat universam terram, praeparandum esse vaticinatus est solium in misericordia, et eum qui sessurus sit in tabernaculo David, ex persona sanctorum, qui de Moab salvati sunt, et experimento suo ejus didicere superbiam, propheta loquitur: Audivimas superbiam Moab, sive injuriam, ut LXX transtulerunt. Quis enim haereticorum non superbus est? qui Ecclesiasticam despiciens simplicitatem, ita habet Ecclesiae homines quasi bruta animalia, et intantum superbiae injuriaeque tumore erigitur, ut contra ipsum Creatorem armet os suum, detrahens prophetis ejus, quasi auctoritate testimonii Evangelici, in quo Salvator ait: Omnes qui venerunt ante me, fures fuerunt et latrones (Joan. X, 8): adeo ut Moysen quoque famulum Dei appellet homicidam, et Jesu filio Nave detrahat, quasi homini sanguinario, qui tantae sanctitatis fuit, ut ad imperium sermonis ejus sol lunaque constiterint: et David de cujus semine ortus est Christus (Matth. I), homicidam et adulteram vocet, non respiciens ejus poenitentiam et mansuetudinem, qua Dei clementia comparatur. Sed quamvis superbus sit et arrogans, et furibundus exsultet: tamen plus audet quam ejus patitur fortitudo. Idcirco Moab ululabit ad Moab, id est, alter ad alterum: omnes videlicet haereticorum et saecularis sapientiae diversitates contra se mugient, cum in tormentis fuerint (III Reg. VI). Quam ob rem his qui muros habent non quadris aedificatos lapidibus, de quibus Templum

aedificatum est; et intantum politis, ut malleus et securis non sit audita in domo Dei, o vos Ecclesiae magistri, vel qui estis de Moab errore salvati, annuntiate plagas suas, quibus haereticorum jaculis vulnerati sunt. Omnes enim cogitationes eorum, quod significat Esebon, non ad urbis Dominicae habitationem pertinent, de qua scriptum est: Fluminis impetus laetificat civitatem Dei (Ps. XLV, 5); sed suburbana sunt, ut ad urbem Domini pertinere credantur: quae suburbana, Dei sunt deserta praesidio, sive divino igne combusta, praecipue vinea Sabama, quae interpretatur attollens altitudinem, eo quod in altum se erigat, et superbiae suae turrim usque ad coelum exstruere conetur. Quod autem in LXX positum est, habitatoribus Deseth, in Hebraico non habetur; sed pro hoc legitur ARES, quod testam, sive coctum laterem significat.

## (Vers. 9, 10.)

Domini gentium exciderunt flagella ejus: usque ad Jazer pervenerunt. Erraverunt in deserto: propagines ejus relictae sunt: transierunt mare. Super hoc plorabo in fletu Jazer vineam Sabama: inebriabo te lacryma mea, Esebon et Eleale: quoniam super vindemiam tuam et super messem tuam vox calcantium irruit. Et auferetur laetitia et exsultatio de Carmelo: et in vineis non exsultabit, neque jubilabit: vinum in torculari non calcabit qui calcare consueverat: vocem calcantium abstuli.

Suburbana Esebon, de quibus supra diximus, deserta sunt, et vinea Sabama, quae interpretari potest, non solum extollens altitudinem, sed et conversio aliqua: quia videtur in regione Moabitica ad Domini servitutem aliqua ex parte velle converti. Hujus igitur vineae Sabama, Domini gentium, Apostoli et apostolici viri, flagella et propagines penitus absciderunt, ne ex aliis haeresibus aliae nascerentur haereses, et infinita errantium fieret multitudo. Et non solum exciderunt propagines Sabamae,

sed usque ad Jazer pervenerunt, quae interpretatur fortitudo eorum: hoc est, ad fortissima quaeque dogmata haereticorum, et dialectica arte constructa, in quibus robur sui habere videbantur erroris; et intantum eorum mucro bacchatus est, ut novissime errarent in solitudine, et quem interficerent non haberent. Cumque illi exciderent flagella ejus, tamen vitio radicis pessimae, propagines aliquae remanserunt. Domini autem gentium transierunt mare, hoc est tentationes saeculi hujus, de quibus in psalmo legimus: Veni in profundum maris, et tempestas absorbuit me (Ps. LXVIII, 3); et in alio loco: Qui descendunt mare in navibus, facientes operationes in aquis multis: ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo (Ps. CVI, 23). Isti ergo transierunt mare, ut opera Domini et mirabilia ejus in profundo tentationum conspicerent, dum liberantur ex eis. Itaque sermo propheticus plangit fortitudinem haereticorum, id est, Jazer, et vineam Sabama; quae se extollit contra scientiam Dei. Et inebriabo te lacryma mea, Esebon, cogitationes scilicet eorum, et Eleale, quibus ad excelsa conscendunt. Cur autem plangit Jazer vineam Sabama, et inebriat Esebon, et Eleale lacrymis suis? ut dum ipse plorat, et illos plorare doceat. Quoniam, inquit, super vindemiam tuam et super messem tuam vox calcantium irruit. Vinea enim Moabitarum propter viciniam loci talis est, qualis et vinea Sodomorum, de qua dicitur: De vinea enim Sodomorum, vinea eorum, et propago eorum de Gomorrha (Deut. XXXII, 31). Et in septuagesimo septimo psalmo, legimus de Aegyptia vinea, quam Deus percussit grandine. Messes quoque Moabiticae nascuntur in vallibus quae appellantur Raphaim: falsaque vindemia ejus est vineae, de qua supra dicitur: Domini gentium exciderunt flagella ejus. Isti enim conterunt uvas amarissimas, et suis calcant pedibus, ne draconis de eis exprimantur venena, et omnes interficiantur bibentes. Auferetur quoque laetitia et exsultatio haereticorum, qua ante gaudere consueverant: ut postquam egerint poenitentiam, illud mereantur audire: Beati lugentes,

quoniam ipsi consolabuntur (Matth. V, 5). Quodque addidit, de Carmelo, hoc significat: non quod haeretici vere Carmelum habeant, id est, spiritalis circumcisionis notitiam; sed quod falso habere se jactent. Cumque succisae fuerint vineae, et ablata laetitia, et exsultatio de falsi nominis scientia: tunc nullus erit de pristinis calcatoribus, qui calcet uvas, quas ante calcaverat: et vox eorum aeterno obmutescet silentio.

## (Vers. 11 seqq.)

Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit: et viscera mea ad murum cocti lateris. Et erit cum apparuerit quod laboravit Moab ab excelsis suis, ingredietur ad sancta sua ut obsecret, et non praevalebit.

Hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc. Destructo errore Moabitico: immo falsa laetitia in luctum lacrymasque mutata, venter meus, prophetae, qui instar citharae musica arte compositus est, et qui de Dei timore concipiens, multos liberos procreavit, ita ut nulla sit chorda, quae non reddat sonum suum, resonabit luctum agentis poenitentiam Moab: et omnia viscera mea ad murum cocti lateris: pro quo interpretatus est Theodotio ad murum dissipatum. Omnia enim contrariorum praesidia, in quibus antea confidebant, destruentur et corruent. Haec sunt autem viscera et interiora prophetae, de quibus et David dicebat in Psalmo: Benedic, anima mea, Domino, et omnia interiora mea nomen sanctum ejus (Psal. CII, 1). Quomodo enim cithara non emittit vocalem sonum atque compositum, si saltem una chorda rupta fuerit; sic spiritalis venter prophetae, si una in eo virtutum chorda defuerit, non poterit melos dulce resonare; nec ad lateritium murum cunctis clamare visceribus. Philosophorum quoque sententia est, haerere sibi virtutes; et Apostoli Jacobi, ut cui una defuerit, huic omnes deesse virtutes. Cum autem intellexerit Moab frustra se in his, quae prius putabat

excelsa, dogmatibus laborasse, ingredietur ad sancta sua, non quae per se sancta sunt, sed quae sancta errans arbitrabatur, et auxilium invenire non poterit. Vel certe deserto errore mendacii, ad sancta Ecclesiae intrare conabitur, ut sua ea faciat, et oret, et obsecret, sed non praevalebit. Neque enim statim ut voluerimus, perfectam possumus capere virtutem. Quodque infert: Hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc, prooemio in quo dixerat, verbum contra Moab, sive onus, sciamus epilogum redditum, ut quod ibi coeperat, hic compleverit. Ex tunc autem, intelligendum ex quo coepit ad eum loqui, ut omne quod dixit, unum verbum Dei sit, id est, una sententia. Porro juxta LXX qui interpretati sunt: Interiora prophetae quasi murum renovata a Deo, et erubescere eum, id est, Moab, et intrare ad aras, et ad ea quae manu facta sint, ita disserere possumus, ut dicamus semper prophetae renovari viscera, et a Deo fieri fortiora, ut adversarii confundantur, et ea quae humana manu fabricati sunt, cassa intelligant, et nihil ad salutem proficientia.

## (Vers. 14.)

Et nunc locutus est Dominus, dicens: In tribus annis quasi annis mercenarii auferetur gloria Moab super omni populo multo, et relinquetur parvus, et modicus, nequaquam multus.

Tres anni, in quibus auferetur gloria Moab super omni populo ejus multo, vel divitiis multis, ut LXX transtulerunt, mystice intelligendi sunt. Sicut enim misericordia Domini in ponderibus est atque mensura: sic et cruciatus ac supplicia habent mensuram suam, ut postquam tres anni transierint, in quibus relinquetur parvus, et modicus, et nequaquam multus, tunc, inglorius esse desistat. Et hoc notandum, quod juxta Ezechielis prophetiam, quando dies pro annis numerantur Israeli (Ezech. IV), hoc est, decem tribubus, quae majora

peccaverant, supputentur in poenis anni trecenti nonaginta, ut in Hebraico continetur, non centum nonaginta, ut Vulgata editio habet: et Judae, in quo erat Templum Dei, anni quadraginta. Qui enim parvus est, meretur misericordiam: potentes autem potenter tormenta patientur (Sap. VI). Et servus qui scit voluntatem Domini sui, et non facit eam, vapulabit multum (Luc. XII). Moab igitur quia externus erat, nec de populo Dei, sed relicto errore conversus, non annis pluribus, sed tantum tribus parvus et modicus, et inglorius relinquetur. Isti sunt anni, de quibus et alibi legimus: Recordamini dierum saeculi (Isai. XLVI), et iterum: Cogitavi dies antiquos, et annos aeternos in mente habui (Psal. LXXVI, 6). Si enim umbrae et exemplaribus serviebat juxta carnem Israel, et omnis eorum solemnitas futurorum erat typus, quare non et anni praesentis temporis futura tempora praefigurent? de quibus et in alio loco legimus: Quid facietis in diebus conventus, et in diebus festivitatis Domini? Quodque jungitur, Quasi anni mercenarii (Osee IX, 5), hoc ostendit, quod falsa doctrina pro lucro cuncta faciat atque compendio. Omnis enim mercenarius, et qui non est pastor, cujus non sunt oves, cum viderit lupum venientem fugit, quia mercenarius est, et oves ad eum non pertinent (Joan. X). Quam ob rem puto advenam et mercenarium de sanctis non comedere, nec servos, sanctorum esse participes. Non enim ob dilectionem Domini, sed ob mercedem cuncta faciunt, qui comedunt domos viduarum, et proprios adducunt greges, ut lanis eorum vestiantur, et lac mulgeant (Matth. XXIII). Quod de doctrina diximus mercenaria, referamus ad caetera. Si praebeo eleemosynam, ut glorificer ab hominibus, recepi mercedem meam, et mercenarius appellandus sum. Si castum esse me simulo, et aliud est in conscientia mea, habeo non gloriam mercenarii, sed supplicia peccatoris. Et in comparatione duorum malorum, levius malum est aperte peccare, quam simulare et fingere sanctitatem. Verum et in hoc profectus est Moab, ut qui prius multos erroris sui habebat comites, postea redigatur ad paucos;

vel qui prius multus erat in divitiis peccatorum, post poenitentiam parvus et pauper sit in malitia.

## LIBER SEPTIMUS.

Septimus liber idem juxta anagogen secundus est, immo extremus. In hoc enim decem visionum tropologica explanatio terminatur: quem cum tuis, Eustochium, precibus, et Christo auxiliante complevero, veniam ad octavum, et utramque explanationem juxta priores, usque ad quartum, libros, pariter explicabo.

### (Cap. XVII.---Vers. 1.)

Onus Damasci.

Symmachus et Theodotio, Assumptio Damasci: LXX, Verbum contra Damascum, addentes de suo, quod in Moab fecere principio. Damasci primum nomen in Genesi legimus, qui ante Isaac fuit vernaculus Abraham, et putabatur haeres, nisi esset Sarae filius ex promissione generatus (Genes. XV). Interpretatur autem aut sanguinis osculum, aut sanguinem bibens, aut sanguis cilicii, quae omnia populo conveniunt Ethnicorum, qui ante fidem Christi, amicus erat sanguinis et crudelitatis, et digna opera planctu agebat, et sacco. In Dierum libro (II Par. XXIV) narrat historia, quod impleto anno ascenderit contra Joas regem Judae exercitus Syriae, et venerit in Jerusalem, et omnes principes populi interfecerit, cunctamque praedam miserit regi Damasci, qui cum paucis viris venerat: et Deus tradiderat in manu eorum multitudinem magnam nimis, eo quod reliquissent Dominum Deum patrum suorum: quod juxta anagogen et futurorum typum considerandum est, utrum ad tempus Dominici adventus referre valeamus. Post finem enim anni acceptabilis, in quo a Salvatore est Evangelium praedicatum, ascendit de Damasco gentium exercitus in paucis viris contra Judam et Jerusalem, qui reliquerant

Dominum: et omnes eorum Legis ac Prophetarum abstulere divitias, et miserunt regi Damasci, viros scilicet Ecclesiasticos et doctrinae Evangelicae, qui ad comparationem totius mundi, adhuc tunc infidelis, et in toto orbe dispersorum Judaeorum, pauci erant; et tamen Dominus tradidit Jerusalem in manibus eorum, eo quod dereliquissent Dei Filium, qui per prophetas ante praedictus est (Act. IX). Ego ob hanc causam reor, et Saulum, qui postea Pauli ex virtute nomen accepit, quia aemulator erat Legis, isse Damascum, et contra credentes ex gentibus pugnare voluisse, ibique superatum, eos secutum qui in Damasco versabantur, ut inde rursum Jerusalem Judaeos expugnaturus ascenderet. Nec alicui videatur esse contrarium, si in Paralipomenon libro laeta de Damasco, et nunc in Isaia tristia praedicentur: quia et de ipso Israel, qui certe portio Dei est, nunc adversa, nunc prospera nuntiantur. Et quomodo ad Israel juxta carnem, et ad gentes dicitur: Vos gentes juxta carnem, qui dicimini praeputium ab ea quae appellatur in carne Circumcisio: sic econtrario est Israel juxta spiritum, et sunt gentes juxta spiritum, et inter caeteras gentes est Damascus juxta spiritum, ne tantum Judaicis fabulis acquiescamus.

## (Vers. 1 seqq.)

Ecce Damascus desinet esse civitas, et erit sicut acervus lapidum in ruina. Derelictae civitates Aroer gregibus erunt, et requiescent ibi, et non erit qui exterreat, et cessabit adjutorium ab Ephraim, et regnum de Damasco, et reliquiae Syriae, sicut gloria filiorum Israel erunt, dicit Dominus exercituum. Sicut in titulo demonstratum est, per Damascum vocatio gentium significatur, quae amabant vel bibebant sanguinem, quae postquam in Christum crediderint, pristinae conversationis civitates esse desistent, et erunt sicut acervus lapidum in ruina. Quomodo enim acervi lapidum, qui in agris dispersi sunt, in unum tumulum comportantur:

sic de universis nationibus acervus credentium congregatus est in ruina populi Judaeorum, illis cadentibus, et nobis surgentibus. Derelictae quoque civitates AROER, id est, myrice, Ecclesiasticis gregibus erunt, ut quas Judaei deseruerunt, nos incolamus: sive destructa idololatria exstruetur Evangelium. Hoc et nostris temporibus videmus esse completum: Serapium Alexandriae, et Marnae templum Gazae in ecclesias Domini surrexerunt, et civitates Aroer Evangelicis gregibus praeparatae sunt. Aroer, id est, myrice, nascuntur in desertis locis, juxta illud quod scriptum est in maledictione ejus hominis qui confidit in homine, et a Domino recedit cor ejus: Erit, inquit, quasi myrice in deserto, et non videbit bonum cum venerit; sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis et inhabitabili (Jerem. XVII, 6). Alii vero dicunt ex hac arbore maleficis artibus --- id est, odia concitari. Ergo qui prius erant in deserto gentilium, et in odio nominis Christiani, Christi gregibus servient, qui requiescent in eis, et non erit qui exterreat, quia Dominus habitabit inter eos, et praesente Pastore, lupum timere non poterunt. Tunc cessabit adjutorium Dei ab Ephraim, qui in hoc loco intelliguntur Scribae, et Pharisaei, juxta Osee prophetiam, qui contrarios populo Dei, Ephraim nominat (Osee V et VIII). Et regnum cessabit a Damasco, ut nequaquam peccatum, et peccati princeps diabolus regnet in Damasco, quae prius sanguinem diligebat; sed reliquiae Syriae, id est, qui ex gentibus crediderunt sint sicut prius fuerant filii Israel, ablato ab illis regno Dei, et tradito gentibus, quae faciunt fructum ejus, sicut Dominus Deus exercituum locutus est per omnes prophetas suos.

## (Vers. 4-6.)

Et erit in die illa, attenuabitur gloria Jacob, et pingues carnes ejus tabescent. Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, et brachium ejus spicas leget, et erit sicut quaerens spicas in valle Raphaim. Et relinquetur

in eo sicut racemus, et sicut excussio olivae duarum aut trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque in cacuminibus ejus fructus ejus, dicit Dominus Deus Israel. Postquam reliquiae Syriae fuerint, sicut quondam fuerat gloria filiorum Israel, et delicto eorum salus gentibus data, tunc attenuabitur omnis gloria Judaeorum, qua gloriosi erant in universo orbe, et pingues carnes eorum tabescent, non habentium prophetas, non signa atque virtutes, non praesens auxilium Dei, non sacerdotii dignitatem: sed omne corpus gentis eorum emarcescet, et redigetur ad nihili. Cumque dicatur de vocatione gentium: Messis multa, operarii autem pauci (Matth. IX), illi pauperes messis reliquias, quae per Apostolos salvatae sunt, et rarissimas spicas legent, non de montibus, et erectis locis, sed in valle Raphaim, id est in litterae vilitate. Et considera quod Raphaim, qui gigantes interpretantur, sicut supra Ephraim. Pharisaeos Scribasque significent. Denique LXX, pro valle Raphaim, vallem duram interpretati sunt, ut duritiam cordis Judaici exprimerent. De quorum humilitate eliguntur quasi in stipula spicae et quasi in vindemia racemi, qui salvati fuerint: et sicut excussio olivae duarum, aut trium olivarum, sive quatuor aut quinque. Quando enim venit percussio populi Judaeorum, oliva illa populi Israel, quae sub Moyse sexcenta millia habuit armatorum (Num. XXVI), et sub David, numerante Joab, innumerabilem populum (II Reg. XXIV), vix paucos fructus offerre potuit Domino Salvatori: duas olivas Paulum et Barnabam, et tres olivas Petrum et Jacobum, et Joannem (Act. XIII), qui et in monte transfiguratum Dominum conspexerunt, et ad archisynagogi filiam ire cum Domino meruerunt (Matth. XVII). Quatuor autem et quinque olivae reliquos novem faciunt Apostolos, in quibus Judae proditoris locum Matthias obtinuit, qui utique pro diversitate gratiarum, quae nobis ignota est, in quatuor et quinque olivas separati sunt, ut Evangeliorum numerum et Legis in se volumina demonstrarent, quasi praedicatores utriusque Instrumenti (Act. I).

## (Vers. 7, 8.)

**In die illa inclinabitur homo ad factorem suum: et oculi ad Sanctum Israel respicient. Et non inclinabitur ad altaria, quae fecerunt manus ejus, et quae operati sunt digiti ejus: non respicient lucos et delubra.**

**In illo tempore quando de populo Israel, cui prius dicebatur, Olivam fructiferam vocavit te Dominus Deus tuus (Jerem. XI, 16): et de quo in Psalmis legimus: Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae (Ps. CXXVII, 3), pro siccitate gratiae spiritualis vix duas olivas, et tres, aut quatuor, aut quinque Dominus esuriens repererit, subintrabit gentium plenitudo, et nequaquam ad idola manufacta, sed ad Deum suum inclinabitur, et respiciens Sanctum Israel, et aras lucosque ac delubra contemnent, scientes illud scriptum: Omnis plantatio quam non plantavit coelestis pater, eradicabitur (Mat. 15, 13).**

## (Vers. 9, 10.)

**In die illa erunt civitates fortitudinis ejus derelictae sicut aratra et segetes, quae derelictae sunt a facie filiorum Israel. Et erit deserta, quia oblita es Dei Salvatoris tui, et fortis adjutoris tui non es recordata.**

**LXX: In die illa erunt civitates tuae derelictae sicut dereliquerunt Amorrhaei, et Evaei a facie filiorum Israel. Et erunt desertae, quia dereliquisti Deum Salvatorem tuum, et Domini auxiliatoris tui non es recordata. Quomodo sub Moyse, et Jesu filio Nave, Amorrhaei, et Evaei, sive caeterae gentes quae habitabant in terra repromissionis, dereliquerunt vomeres, et segetes, et acervos in agris, atque fugerunt, ne ab hostibus occuparentur: sic terra Judaea, et omnes urbes illius robustissimae, Romanis Judaeam vastantibus et obsidentibus Jerusalem, a suis habitatoribus derelictae**

sunt. Et fit apostropha ad ipsam terram Judaeae, id est, ad eos qui habitabant in illa. Haec autem universa perpessa es, quia oblita es Dei Salvatoris tui, qui interpretatur Jesus, quem tibi venturum Lex et Prophetae jugiter nuntiabant: et fortis adjutoris tui, qui tuus semper opitulator fuit, non es recordata. Causa ergo desertarum urbium Judaeae, oblivio Salvatoris est, qui in principio hujus Prophetae dixerat: Israel me non cognovit, et populus meus non intellexit.

## (Vers. 11.)

Propterea plantabis plantationem fidelem et germen alienum seminabis. In die plantationis tuae labrusca, et mane semen tuum florebit: ablata est messis in die haereditatis, et dolebit graviter.

LXX: Ideo plantabis plantationem infidelem, et semen infidele, et in die qua plantaveris, errabis. Si autem mane seminaveris, florebit in messem in die haereditatis: quando sicut pater hominis dat haereditatem filiis suis. Pro eo quod nos juxta Aquilam et Symmachum et LXX interpretati sumus, in die haereditatis, quod Hebraice dicitur BIOM NEHELA, legi potest in Hebraico, in die pessima. Et pro eo quod Aquila et Theodotio interpretati sunt, et dolebit homo: nos docti ab Hebraeis, pro homine qui lingua eorum dicitur ENOS, interpretati sumus ANUS, id est, graviter: De cujus verbi ambiguitate, si vitae hujus spatium fuerit, in Jeremia plenius disseremus, ubi juxta LXX dicitur: Et homo est, et quis cognoscet eum? Dicam ergo quod proposui: Quia oblita es, terra Judaea, Dei Salvatoris tui, et ejus qui tibi semper praebuit fortitudinem, non es recordata; propterea plantabis quidem plantationem fidelem, sive ut Aquila et Theodotio interpretati sunt, pulchram; aut ut Symmachus, bonam, unum Deum praedicans: sed germen alienum seminabis, non recipiens Patrem, quia non recipis Filium. Qui enim credit in Patrem, credit et in

Filium. Et quia germen alienum blasphemiae contra Jesum seminasti in synagogis Satanae, ideo non vindemiabis uvam, sed labruscam. Cumque visum fuerit florere germen tuum, et aliquam habere pietatis umbram, dum homines ab idolis retrahis: tamen quando ad fructus veneris colligendos in die haereditatis dolebis graviter, cernens gentium populum tibi esse praelatum. Unde et Apostolus loquitur: Tristitia mihi est magna, et indesinens dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei juxta carnem, qui sunt Israelitae, quorum est adoptio filiorum, et legislatio, et gloria, et testamentum, et repromissiones: quorum patres et caetera (Rom. II, 9 seqq.). Quod non solum Paulus, sed et omnis sanctus loquitur, volens cum ramis oleastri etiam radicem salvam esse. Haereditas autem illa est, quam a Domino consequimur, de qua Apostolus ait: Divisiones autem gratiarum sunt, idem autem spiritus, et divisiones ministeriorum, idem autem Dominus: et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Miretur quispiam, cur pro plantationibus pulchris et bonis, quod Aquila et Theodotio ac Symmachus interpretati sunt, nos fidelem plantationem dixerimus. Verbum Hebraicum NEEMANIM, si per ALEPH litteram scribatur, --- id est, fideles sonat: si vero per AIN, et dicatur NEAMENIM, pulchram significat. Unde et Noemi, quae hac littera scripta est, loquitur in Ruth (Cap. I, 20): Nolite me vocare NOEMI, id est pulchram, sed vocate me amaram.

## (Vers. 12 seqq.)

Vae multitudo populorum multorum, ut multitudo maris sonantis, et tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum sonabunt. Populi sicut multitudo aquarum inundantium sonabunt: et increpabit eum, et fugiet procul, et rapietur sicut pulvis montium a facie venti, et sicut turbo coram tempestate. In tempore vesperae, et ecce turbatio: in matutino, et non subsistet.

Haec est pars eorum, qui vastaverunt nos, et sors diripientium nos. Supra legimus sub nomine Damasci, vocationem gentium, et abjectionem Judaeorum, et per Apostolos, atque in Apostolis, paucorum de Judaeis credentium electionem. Et quoniam ad comparationem totius mundi et universarum gentium, parva pars populi credidit Christiani, de quibus supra dictum est: Et reliquiae Syriae sicut gloria filiorum Israel erunt (Multi enim (Matth. XXII, 14) vocati, pauci vero electi); et: Non est omnium fides (II Thess. III, 2): nunc consequenter infertur non planctus, sed vae his gentibus quae credere noluerant, et persecutae sunt populum christianum. Comparanturque undarum molibus et frementi mari, et quantum in se est, cuncta opprimere et occupare cupienti. Sonabunt enim populi in spectaculis theatralis luxuriae, et amphiteatri crudelitate, et circi furoribus, sicut sonitus aquarum inundantium, quando consona impietatis voce blasphemant, et dicunt Christianos ad leones et bestias projici, et caetera hujuscemodi. Sed illis instar maris furentibus, increpabit Dominus auctorem seditionis eorum, et fugabit eum a suo populo. Et sicut pulvis motus in montibus, quanto excelsior est, tanto fortius rapitur; et sicut turbo, qui de terra consurgit, subita tempestate fertur in sublime: ita et ille raptus, a Dei populo separabitur ac fugiet, ne in abyssos relegetur. Cumque dies consummationis advenerit, quod interpretatur vespera, tunc erit turbatio, sua peccata noscentis. Et in tempore matutino, die videlicet resurrectionis, non subsistet, quod LXX transtulerunt, non erit. Si autem non erit, quid respondebunt, qui diabolo dant poenitentiam, et illi quantum in se est, Archangelicum fastigium pollicentur? Haec est pars eorum, qui vastaverunt nos, et sors diripientium nos. Haec vel populus loquitur Christianus, vel propheta ex persona credentis populi, quod interitum sempiternum persecutores eorum habituri sint, qui exsiliis, carceribus, bonorum proscriptionibus oppresserunt sanctos Dei, et aeterna supplicia possessuri sunt.

## (Cap. XVIII---Vers. 1 seqq.)

**Vae terrae cymbalo alarum, quae est trans flumina Aethiopiae, qui mittit in mari legatos, et in vasis papyri super aquas: ite, Angeli veloces, ad gentem convulsam, et dilaceratam: ad populum horribilem, post quem non est alius: ad gentem exspectantem, exspectantem et conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus. Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra, cum elevatum fuerit signum in montibus, videbitis et clangorem tubae audietis.**

**LXX: Vae terrae navium alarum trans flumina Aethiopiae, qui mittis in mari obsides, et epistolas biblinas super aquam. Ibunt enim nuntii leves ad gentem excelsam, et peregrinum populum et pessimum, qui est trans eum: gens absque spe, et conculcata, nunc flumina terrae omnis sicut regio quae habitatur: habitabitur regio eorum, quomodo si signum de monte elevetur, et tubae vox audiatur. Utramque editionem posui in prophetia obscurissima ne quid volentibus intelligere quod scriptum est, deesse videatur. Simulque vehementer admiror eos, qui fidem nostram, et spem Christianam arbitrantur, simplicitate contentam, quia scriptum est: Mandatum Dei lucidum illuminans oculos (Ps. XVIII, 9): nec plus debere nos quaerere, quam ut fiant, quae praecepta sunt: cum idcirco et omnis Scriptura, et Prophetae specialiter futurorum mysteriis involuti sint, ut provocent nos ad intelligentiam, et ad illud quod in Evangelio dicitur: Petite, et accipietis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Quia ergo juxta historiam et id quod in Hebraeo continetur, in quinto libro exposui, nunc quid mihi juxta anagogen videatur, edisseram. Prudens forsitan lector inquirat, quid sibi velit in Visione, vel Onere Damasci, alarum cymbalum et caetera quae sequuntur. Postquam de vocatione gentium dictum est, de abjectione Judaeorum, et electione eorum, qui per**

Apostolos crediderunt, et postea de gentium multitudine et persecutoribus, qui maris fluctibus comparati sunt: sequebatur, ut de haeresibus quoque, quae Ecclesiam vexaverunt, et hucusque populantur, sermo propheticus nuntiaret, qui, dormiente patrefamilias, in agro Ecclesiae superseminaverunt zizania (Matth. XIII). Et dicuntur cymbalum, charitatem Dei non habentes, juxta illud Apostoli: Si linguis hominum loquar et Angelorum: charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens (I Cor. XIII, 1). Et non solum cymbalum rauco concrepans sonitu, sed propter levitatem sermonis haeretici in diversa currentis, alarum cymbalum dicuntur, sive juxta Septuaginta, alae navium, qui magna mercimonia promittentes, navigant in saeculi istius fluctibus. Alas autem navium, vela quibus suspenduntur, et trahuntur, intellige. Et pulchre alas dixit navium, omnis enim haereticus pollicetur excelsa, et cum alas habere se jactet, tamen haeret in salsis fluctibus, et procul non recedit a terra, in medioque cursu patitur repente naufragium. Unde Aquila pro cymbalo, umbram alarum, interpretatus est, non enim habent alas, sed alarum similitudinem. Quodque infert, quae est trans flumina Aethiopiae, hoc significat, quod impietate sua omnes vincant haeretici. Verbi gratia: Dicit Epicurus non esse providentiam, et voluptatem maximum bonum. Comparatione hujus sceleratior Marcion, et omnes haeretici, qui vetus lacerant Testamentum. Cum enim recipiant providentiam, accusant Creatorem, et asserunt eum in plerisque operibus errasse, et non ita fecisse, ut facere debuerat. Ad quam enim utilitatem hominum, serpentes, scorpios, crocodilos, et pulices, cimicesque et culices pertinere? Isti ergo trans flumina Aethiopiae sunt, et mittunt in mari hujus saeculi legatos, id est, discipulos suos, qui eorum portantes volumina, recte vasa papyri, id est, chartacia super aquas portare dicuntur, quae delentur velociter. Sicut enim libri juxta aquas et humores cito obscurantur, delentur et pereunt: ita sermo eorum atque doctrina, cum in principio aliquam visa fuerit

fortitudinem possidere, pertransit et labitur. Itaque per ironiam dicitur ad eos: O Angeli haereticorum, ite veloces. Quos beatus apostolus Paulus falsos apostolos, operarios fraudulentos, qui in Apostolos Christi transfigurentur, appellat (II Cor. XI). Et ite ad gentem avulsam et laceratam: avulsam a Deo, et haereticorum morsibus laniatam. Ad populum horribilem; nihil enim horribilius blasphemia, quae ponit in excelsum os suum. Post quem non est alter populus: omne quippe peccatum comparatum blasphemiae, levius est. Gentem exspectantem, exspectantem, et conculcatam. Nam omnes haeretici sibi coelestia repromittunt, et pollicentur ingentia, et tamen a daemonibus conculcantur. Cujus terram diripuerunt flumina, quae non de coelo habent aquas, sed de terra. Quis enim angulus est, quae extrema solitudo terrarum, ad quam non turbidus haereticorum sermo perveniat? Itaque omnes qui habitant et morantur in orbe terrarum, ad haereticorum signum, quod quasi in montibus elevatum est, erigunt oculos suos, et clangorem tubae, id est, doctrinae eorum, audiunt. Haec juxta Hebraicum. Caeterum secundum LXX planguntur alae haereticorum, quae instar navium per mare hujus saeculi volitant, et impietatem superant ethnicorum, quos nunc Aethiopes Scriptura cognominat: et dicitur ad doctrinam eorum, atque sermonem: Qui mittis in mari hujus saeculi libros, obsides perversitatis tuae, et epistolas ad decipiendos eos, qui lecturi sunt. Pergunt nuntii leves ad gentem excelsam, et peregrinum populum, et pessimum. Nullus enim ecclesiasticorum tantum habet studii in bono, quantum haeretici in malo, et in eo se lucrum putant consequi, si alios decipiant, et ipsi perditi caeteros perdant. Gens autem vocatur excelsa propter superbiam: et peregrina et pessima, quia aliena a Deo est. Vere gens sine spe, et conculcata, cujus flumina in tota terra imitantur habitationem Ecclesiae, ut inveniant sibi hospitium et regionem, in qua elevent signum doctrinae suae, in qua Scripturarum clangant tuba.

## (Vers. 4 seqq.)

**Quia haec dicit Dominus ad me, quiescam, et considerabo in loco meo: sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis. Ante messem enim totus effloruit, et immatura perfectio germinabit, et praecidentur ramusculi ejus falcibus: et quae derelicta fuerint, abscindentur, excutientur. Et relinquentur simul avibus montium, et bestiis terrae, et aestate perpetua erunt super eum volucres, et omnes bestiae terrae super illum hyemabunt. In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a populo divulso, et dilacerato, a populo horribili, post quem non fuit alius, a gente exspectante, exspectante et conculcata, cujus diripuerunt flumina terram ejus, ad locum nominis Domini exercituum montem Sion.**

**Quiescit et comtemplatur Deus in loco suo, sive juxta Aquilam, in firmamento, id est, in Ecclesia, de qua Paulus Apostolus loquitur: Columna et firmamentum veritatis (I Tim. III, 15). Contemplatur autem ea quae fiunt in Ecclesia; et sicuti meridiana lux clara est, ita universa perlustrat: juxta illud quod in decimo octavo Psalmo secundum Anagogen de sole justitiae dicitur: Nec est qui se abscondat a calore ejus (Ps. XVIII, 7). Et quomodo nubes roris in die messis, et in ferventi aestate gratissima est, sic Dominus habitatores Ecclesiae suae refrigerat, quo praesente cuncta florescunt. Et antequam tempus consummationis adveniat, quia nunc ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus, multi perfecti reperientur, de quibus Apostolus loquitur: Quotquot perfecti hoc sentiamus (I Cor. XIII; Philip. III, 15). Ramusculi autem, qui inutiles sunt, falcibus praecidentur, dicente in Evangelio Salvatore: Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat (Joan. XV, 2). Et quae praecisa fuerint, relinquentur avibus montium et**

bestiis terrae. Avibus, quae juxta viam seminata populantur, et bestiis, quibus traditur anima non confitens Deum, ita ut qui a Domino praecisus fuerit et abjectus, et de corpore illius, quod est Ecclesia separatus, tam in aestate quam in hyeme, hoc est, in prosperis et adversis, volucrum et bestiarum mansio sit. Sicut autem hi qui inutiles sunt et infructuosi in Ecclesia, amputantur et projiciuntur, ne modicum fermentum totam massam corrumpat: sic econtrario fieri potest, ut qui haeretico fuerant errore decepti, et avulsi a Domino atque lacerati, et horribiles ob blasphemiam, frustraque mendacia praestolantes, et conculcati a daemonibus, et a fluviis in partes varias dissipati, cum recordati fuerint Dei sui, et magistros pessimos dereliquerint, offerant munus Domino exercituum, non alibi nisi in monte Sion, et in specula, quod interpretatur Ecclesia. Brevius dicimus, quia in libro explanationis historicae multa jam diximus.

## (Cap. XIX.---Vers. 1.)

Onus Aegypti.

Symmachus et Theodotio: Assumptio Aegypti. LXX: Visio Aegypti. Ubi in Hebaero scriptum est MASSA MESRAIM, quod nos interpretati sumus, Onus vel pondus Aegypti: pro quo Aquila transtulit ---, possumus dicere ab eo, quod tollat propheta, et portet jugum Domini, eum exstitisse condignum, qui prophetiam Aegypti cerneret, sive portaret. Unde miror LXX et in Babylone pro Pondere interpretatos Visionem; et in Philisthiim, et Moab, et Damasco, Verbum; et nunc in Aegypto Versionem; cum in Hebraeo in omnibus his non Verbum et Visio, sed MASSA, id est, Onus, pondus que ponatur. Quod autem Symmachus et Theodotio λῆμμ , id est, assumptionem semper interpretati sunt, hoc scire debemus, accepisse prophetam a Domino gratiam spiritualem, ut Aegypti sacramenta cognosceret, sive oculis mentis aspiceret, ut LXX transtulerunt. Non est autem Aegyptus ista quam

Judaei putant, sicut arbitratus est Josephus, qui in libris Antiquitatum refert: Oniam sacerdotem Isaiae implesse vaticinium, ut in territorio Heliopolitano, quod Aegyptii νομὸν vocant, exstrueret templum ad similitudinem Templi Dei, et altare. Esto enim, concedamus haec dicta de Onia et altari quod in Aegypto exstruxit, quae erunt quinque civitates, quae in Aegypto loquantur lingua Chananitica: ex quibus una juxta LXX appellatur ---: juxta alios interpretes, civitas ARS sive ARES, vel civitas solis? Et quis erit iste salvator, qui missus est Egyptiis, ut salvaret eos, et Dominum cognoscerent Aegyptii? quando coluerunt eum in hostiis et muneribus, et vota solverunt? quando percussit Dominus Aegyptum et sanavit eam? in quo tempore factum poterimus docere, ut fuerit via de Aegypto in Assyrios, et intraverint Assyrii in Aegyptum, et Aegyptii in Assyrios; et servierint Aegyptii Assur? Quando Israel tertius in Aegypto fuit; et apud Assyrios quasi benedictio in medio terrae: ita ut Dominus diceret: Benedictus populus meus Aegypti, et opus manuum mearum Assyrius? Haec ad Aegyptum istam, quam Judaei aestimant, non pertinere perspicuum est. Itaque locum istum quem incolimus, et mundum qui in maligno positus est: Aegyptum possumus appellare, maxime quia MESRAIM, quod dicitur Aegyptus, interpretatur ἐκθλίβου, id est, tribulans, sive ad angustiam redigens. Est tamen sciendum, multa Oneris Aegyptii, vel Visionis, ad Aegypti provinciam pertinere, quae usque hodie habitatur et cernitur. Sed et in hoc et in aliis Scripturarum locis pleraque ponuntur, quae non possent stare juxta historiam: ut rerum necessitate cogamur altiorem intelligentiam quaerere.

## (Vers. 1 seqq.)

Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie ejus, et cor Aegypti tabescet in medio ejus. Et concurrere faciam Aegyptios adversus Aegyptios,

et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversum civitatem, regnum adversus regnum. Et disrumpetur spiritus Aegypti in visceribus ejus: et consilium ejus praecipitabo; et interrogabunt simulacra sua et divinos suos, et Pythones, et hariolos. Et tradam Aegyptum in manus dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum.

Pleraque de prophetia Aegypti, quam levavit vel vidit Isaias, in historica explanatione perstrinxi. Unde nunc juxta tropologiam summa quaeque carpenda sunt. Ascendit Dominus super nubem levem, corpus sanctae Virginis Mariae, quod nullo humani seminis pondere praegravatum est: vel certe corpus suum, quod de Spiritu sancto conceptum est. Et ingressus est in Aegyptum hujus mundi; statimque omnia Aegypti simulacra commota sunt: ita ut divinationes et universa fraus idololatriae, quae deceptum possidebat orbem, se fractam esse sentiret: intantum ut magi de Oriente docti a daemonibus, vel juxta prophetiam Balaam (Num. XXIV) intelligentes natum Filium Dei, qui omnem artis eorum destrueret potestatem, venerint Bethleem, et ostendente stella, adoraverint puerum (Matth. II). Tunc cor Aegypti omne contabuit, et Aegyptii contra Aegyptios surrexerunt, juxta illud quod Dominus loquitur in Evangelio: Nolite putare quia veni mittere pacem super terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim dividere hominem contra patrem suum, et filiam contra matrem suam, et nurum contra socrum suam (Matth. X, 34 seqq.). Eo tempore et illud expletum est: Inimici hominis domestici ejus (Mich. VII, 6). Et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum. Fuerunt enim in una domo separati, duo contra tres, et tres contra duos, et divisus est pater contra Filium, et filius contra patrem, civitas adversus civitatem, et regnum adversus regnum, eorum qui non crediderunt, adversum eos qui crediderunt, vel certe eorum, qui crediderunt, proximos suos salvare cupientium. Et disruptus est spiritus Aegypti in visceribus suis, ut

nequaquam paria sentirent; sed spirituali contra se gladio separati, omne consilium suum praecipitatum esse cognoscerent: et nihilominus in errore pristino permanentes, hi qui fidei veritatem suscipere noluerant, interrogarent simulacra, et divinos suos, et Pythones, et hariolos. Cumque illi hoc fecerint, Dominus tradidit eos in manu dominorum crudelium, juxta illud apostolicum: Quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare (I Tim. I, 20); quo servitute durissima oppressi, ad clementissimum Dominum revertantur. Pulchreque daemones crudeles dominos vocat, quibus nihil crudelius est. Rex quoque fortis, qui Dominus est eorum, perspicue diabolus intelligitur, quem et in Evangelio Dominus sortem vocat, quo vincto et oppresso, vasa domus ejus, et praeda diripitur.

## (Vers. 5 seqq.)

Et arescet aqua de mari, et fluvius desolabitur atque siccabitur, et deficient flumina, attenuabuntur et siccabuntur rivi aggerum. Calamus et juncus marcescet: nudabitur alveus rivi a fonte suo, et omnis sementis irrigua siccabitur: arescet et non erit. Et maerebunt piscatores, et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, et expandentes rete super faciem aquae, et arescent. Et confundentur qui operantur linum, plectentes et texentes subtilia, et erunt irrigua ejus flaccentia, omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces.

Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharao dederunt consilium insipiens. Quando rex fortis, durus dominatus fuerit in Aegypto, arescet omnis doctrina et pulchritudo eloquentiae saecularis, et ipse fons fluviorum omnium diabolus, a quo oriuntur universa mendacia, desolabitur: ita ut deficiant caetera flumina et rivi, qui de turbidis Nili aquis implebantur. Calamus quoque et juncus nimia siccitate arescent. Pro junco papyrum LXX transtulerunt, de quo charta fit, addentes de suo achi

viride, quod in Hebraico non habetur. Cumque ab eruditis quaererem, quid hic sermo significaret, audivi, ab Aegyptiis hoc nomine lingua eorum omne quod in palude virens nascitur appellari. Calamus autem juxta tropologiam, est sermo vacuus, et nihil in se solidum habens: et papyrus qui videtur quidem habere medullam, et non est vacuus, et tamen fragilis est, citoque marcescit. Omnes quoque rivi, arefacto rivorum capite, siccabuntur, et quidquid prius aquis irrigabatur Aegyptiis, arefactum, non erit: ita ut moereant Aegypti piscatores qui valde contrarii sunt piscatoribus Domini, et lugeant qui mittebant hamum in flumen, et expandebant rete super faciem aquae. Qui singulos quosque decipiunt, hamum mittunt in aquas turbidas. Qui autem plures simul, ita ut in synagogis Satanae loquantur publice, et populorum abducant greges, isti rete super aquas mittunt Aegyptias. Confundentur etiam hi qui operabantur linum, ut vestes facerent sacerdotum; plectentes illud, et texentes subtilia: quod proprie ad dialecticorum artem pertinet. Pro subtilibus, byssum LXX transtulerunt, quod et ipsum in sacerdotum vestibus texitur. Quodque sequitur: Et erunt irrigua ejus flaccentia, omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces, hoc significat, quod omnes insidiae Aegypti piscatorum destruantur, et pereant. Pro lacunis quae fiebant ad capiendos pisces, quod nos juxta sensum interpretati sumus, et in Hebraico, et in cunctis interpretibus, in loco piscium ponuntur animae, ut ab historia trahamur ad tropologiam, quod videlicet isti piscatores, qui faciebant lacunas, et foveas, ad hoc fecerint, ut animas in eis deciperent. Notandum quod pro lacunis LXX ζύθον transtulerunt, quod genus est potionis ex frugibus aquaque confectum, et vulgo in Dalmatiae Pannoniaeque provinciis, gentili barbaroque sermone appellatur sabaium. Hoc maxime utuntur Aegyptii, ut non puras aquas bibentibus tribuant, sed turbidas, et commixtarum fecium similes, ut per hujuscemodi potionem haereticae pravitatis doctrina monstretur. Tunc stulti erunt principes Taneos, quae interpretatur

mandatum humile. Omnes enim haeretici contrariam altitudini humilitatem docent, et detrahunt ad inferos, et sunt principes humilis dejectique mandati. Consiliarii quoque Pharao, qui rex Aegypti est, et recte dissipator, et divisus, et in partes varias separatus exprimitur, insipiens arguentur dedisse consilium, quando disperderit Dominus sapientiam sapientium, et intelligentiam prudentium reprobaverit (I Cor. I).

## (Vers. 12 seqq.)

Quomodo dicitis Pharaoni: filius sapientium ego, filius regum antiquorum? Ubi sunt nunc sapientes tui? annuntient tibi, et indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Aegyptum. Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Aegyptum angulum populorum ejus. Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis, et errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens. Et non erit Aegypto opus quod faciat caput et caudam incurvantem et refrenantem.

Solent haeretici regi suo vel Pharaoni dicere: Filii sumus sapientium, qui ab initio doctrinam nobis Apostolicam tradiderunt: filii sumus regum antiquorum, qui appellantur reges philosophorum, et habemus scientiam Scripturarum junctam sapientiae saeculari. Quos nunc interrogat, sive ipsum regem haereticorum, ubi sint sapientes ejus qui contemnebant Ecclesiasticam simplicitatem: et respondere compellit, quid cogitaverit Dominus Sabaoth super Aegyptum istius mundi, et quid in consummatione facturus sit. Stulti sunt approbati principes Taneos qui haereticorum habuere mandatum. Emarcuerunt omnes principes Mempheos, qui eloquentiae et oris polluere jactantia. Memphis enim, os, vel, ex ore, interpretatur, et --- sermonem sonat. Quodque sequitur: Deceperunt Aegyptum angulum populorum ejus, sive juxta LXX: decipient Aegyptum per tribus, hoc significat,

quod regnum sapientiae saecularis stultum esse monstretur, et singulorum dogmatum principes, qui interpretantur tribus, arguantur stultos habuisse doctores. Dominus enim miscuit eis spiritum vertiginis, sive errorum, juxta illud quod scriptum est: Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum (Rom. I, 24). Et quomodo qui sanctus est, cum Isaia dicere potest: Spiritum salutis tuae faciemus super terram? sic qui peccator est, faciet spiritum erroris, hoc est, malitiae spiritum: secundum quod et in Jeremia legimus: Arguet te praevaricatio tua, et malitia tua corripiet te (Jerem. II, 19). Sin autem scandalizatur haereticus, qui vetus non recipit Testamentum, quod Dominus miscere dicatur erroris vel vertiginis spiritum, audiat scriptum in Apostolo, hoc est, in novo Testamento: Tradidit eos Deus in desideriis cordis sui in immunditiam (Rom. I, 24). Et iterum: Propterea tradidit eos Deus in passiones ignominiae. Et rursum: Tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant quae non conveniunt. Traduntur autem in desideriis cordis, quia mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et reptilium. Quod quidem non solum in Epistola ad Romanos, sed et ad Thessalonicenses de Antichristo legimus: Pro eo quod charitatem veritatis non susceperunt, ut salvarentur, mittet eis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, et judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed complacuerunt sibi in mendacio (II Thess. II, 10): quod puto Apostolum Paulum de praesenti Isaiae lectione sumpsisse, in qua dicit: Dominus miscuit eis spiritum erroris, et errare fecerunt Aegyptum in omnibus operibus suis, sicut errat, inquit, ebrius et vomens, qui inebriatus est vitiis. De quibus ebriis Joel loquitur: Vae qui ebrii sunt absque vino. Et non solum ebrii: sed et vomentes furorem draconum, et furorem aspidum insanabilem, ut postquam hujuscemodi vinum evomuerint, intelligant ebrietatem suam, atque cognoscant, quod quamdiu ebrii fuerint, nec principium

habuerint, nec finem, id est, nec caput, nec caudam: sed truncum ex utraque parte animal. Pro principio et fine, quod et Symmachus et LXX transtulerunt, Theodotio more suo ipsa verba Hebraica posuit CHAPHPHE et AGMON: quod Aquila interpretatus est, incurvum, atque perversum. In incurvo, senes intelligi volens; in perverso, lascivientes pueros, qui omnia perversa faciant; ac per hoc esse sensum, quod in Aegypto non solum caput desit et cauda, sed et senes et pueri, id est, et principium et finis.

## (Vers. 1k6, 17.)

In die illa erit Aegyptus quasi mulieres, et stupebit, et timebit a facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse movebit super eam. Et erit terra Juda Aegypto in festivitatem: omnis qui illius fuerit recordatus, pavebit a facie consilii Domini exercituum, quod ipse cogitavit super eam.

In illo tempore, hoc enim, ut crebro diximus, significat dies, quando miscuerit Dominus spiritum erroris atque vertiginis, ut evomat Aegyptus vinum draconum, et furorem aspidum insanabilem, intelligens errorem suum et ebrietatem pristinam, Aegyptus timebit quasi mulier, non timore fortuito, qui viris accidere consuevit, quos non amat Aegyptus, sed suffocat et interficit; sed timore femineo, quas solas vult Pharao vivere. Timebit autem commotionem, sive elationem manus Domini, per quam supplicia demonstrantur, quam movebit et elevabit, ut percutiat Aegyptum. Tunc terra Juda, id est, scientia Scripturarum, lex et prophetae, Evangelia et Apostolorum epistolae, erunt Aegypto in festivitatem, si eas cognoverit: vel in timorem, si comparatione doctrinae et veritatis earum se intellexerit habuisse mendacium. Omnis qui hujus terrae fuerit recordatus, pavebit eo pavore, qui ducit ad vitam: Principium enim sapientiae, timor Domini (Prov. IX, 10). Et hoc non solum in

consummatione mundi, sed in praesenti quoque tempore accipere possumus; quod Ecclesiasticum virum, et doctrinis coelestibus eruditum, omnis haereticus timeat, et ad recordationem illius terreatur. Timebit autem et pavebit consilium Domini, quod super Aegyptum mundi istius cogitavit. Singula breviter transcurrimus, ut ad reliqua transeamus.

## (Vers. 18.)

In die illa erunt quinque civitates in terra Aegypti loquentes lingua Chananitide, et jurantes per Dominum exercituum: civitas solis vocabitur una.

Multum prodest manus Domini elevata sive commota super Aegyptum, ut terra Judae sit ei in timorem, et omnis, qui illius recordatus fuerit, pertremiscat. In illo tempore quinque civitates in terra Aegypti loquentur lingua Chanaan, quas plerique nostrorum quinque sensus intelligunt, visum, auditum, odoratum, gustum, et tactum. Quando videmus mulierem ad concupiscendum, visus noster loquitur lingua Aegyptia. Quando audimus judicium sanguinis, dicente Domino: Non suscipies auditionem vanam (IV Reg. XII, 21, juxta LXX), auditus noster loquitur lingua Aegyptia. Quando secundum prophetam vivimus in deliciis, et jacemus super lectos eburneos, et primis ungimur unguentis, odoratus noster loquitur lingua Aegyptia. Quando venter noster deus est (Philipp. III), gustus noster loquitur lingua Aegyptia. Si non audierimus illud, quod Apostolus loquitur: Bonum est homini mulierem non tangere (I Cor. VII); sed econtrario jungamur meretrici, tactus noster loquitur lingua Aegyptia. Sin autem econtrario elevaverimus oculos nostros, et viderimus quod regiones jam albae sint ad metendum, et nequaquam curvi fuerimus in terram, sed juxta Evangelicam mulierem, quae decem et octo annis coelum aspicere non poterat (Luc. XIII), elevaverimus oculos nostros et dixerimus, Ad te levavi oculos meos, qui

habitas in coelis (Ps. CXXII, 1), oculus noster et visus loquitur lingua Chananitide. Si circumciderimus aures nostras, et audierimus Dominum loquentem: Qui habet aures audiendi audiat (Luc. VIII, 8), auditus noster loquitur lingua Chananitide. Qui potuerit sponso dicere: Post te in odorem unguentorum tuorum currimus (Cant. I, 3): Et: Christi bonus odor sumus in omni loco (I Cor. II, 15), hujus odoratus loquitur lingua Chananitide. Gustus quoque in bonam partem accipitur ejus qui comedit panem de coelo descendentem, panem vivum et non mortuum, et audit illud: Gustate et videte quam suavis est Dominus (Ps. XXXIII, 9), statim loquitur lingua Chananitide. Sed et tactus spiritualis est, de quo Joannes Apostolus ait: Manus nostrae palpaverunt de Verbo vitae (I Joan. I, 1); et qui fide tangit Jesum, ita ut de eo Salvator possit dicere: Tetigit me aliquis, ego enim scio virtutem exisse de me (Luc. VIII, 46). Didicimus quanta bona tribuat elevata manus Domini; quaeramus quare non lingua Hebraea, sed lingua Chananitide loquantur quinque Aegypti civitates. Ad quod ita respondere conabimur: Hebraeus --- id est, transitorem sonat, qui de loco transit ad locum. Ergo et nos licet sancti quamdiu in Aegypto sumus, et in istius mundi versamur tenebris, non possumus loqui lingua Hebraea, sed lingua Chananitide, quae inter Aegyptiam, et Hebraeam media est, et Hebraeae magna ex parte confinis. Chanaam, interpretatur, quasi commotio, sive quasi respondens. Quando igitur ab Aegypto recedimus, et exire volumus de potestate Pharaonis, ita ut terra nostra, et confessio formidolosa sit Aegypto: tunc movemur et quasi respondemus Domini voluntati, et tamen quia adhuc in praesenti saeculo sumus, lingua Hebraea necdum loqui possumus. Quodque sequitur: Jurare quinque civitates per Dominum exercituum, hoc significat, quod etiam hic positi nequaquam daemonum, sed Dei recordemur omnipotentis. De his quinque civitatibus, cum aliarum quatuor tacita sint nomina, una dicitur solis civitas, quae mihi videtur referri ad visum. Sicut enim ut videatur

civitas, sole et luna indiget; ita ut oculi nostri illuminentur, indigemus sole justitiae.

## (Vers. 19-21.)

In die illa erit altare Domini in medio terrae Aegypti, et titulus juxta terminum ejus Domini. Et erit in signum, et in testimonium Domino exercituum in terra Aegypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis: et mittet eis Salvatorem, et propugnatorem qui liberet eos: et cognoscetur Dominus ab Aegypto.

Consequenter ad id quod supra dixerat: In die illa erunt quinque civitates in terra Aegypti loquentes lingua Chananitide: et jurantes per Dominum exercituum, nunc infertur: Erit altare Domini in medio terrae Aegypti, quod Onias secundum Josephum (Antiqq. lib. XIII, cap. 6) male intelligens implere conatus est. Et titulus Domini continens passionem, in quo scriptum est Hebraicis litteris, Graecis, et Latinis: Jesus Nazarenus rex Judaeorum (Joan. XIX), in signum Crucis, et in testimonium universarum gentium, quae nunc Aegyptus appellantur. Cumque persecutio creverit a facie tribulantium nominis Christiani, tunc clamabunt in cordibus suis: Abba pater (Rom. VIII). Et mittet Dominus exercituum Salvatorem, id est, Jesum, et Judicem, vel propugnatorem qui liberet eos, ut liberati cognoscant Dominum, et ipsi cognoscantur a Domino; et ubi abundavit peccatum, superabundet gratia (Rom. V). Unum autem altare Aegypti, id est, mundi istius dicitur, ut cuncta altaria, quae contra Ecclesiae eriguntur altare, sciamus esse non Domini. Usque ad finem visionis Aegyptiae, in libro Explanationis Historicae, quia manifesta prophetia erat, diximus quod cuncta referantur ad Christum.

## (Vers. 20.)

Et cognoscent Aegyptii Dominum in die illa: et colent eum in hostiis, et muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent. Et percutiet Dominus Aegyptum plaga, et sanabit eam: et revertentur ad Dominum, et placabitur eis, et sanabit eos.

Postquam cognoverint Aegyptii Dominum, colent eum in hostiis spiritualibus et muneribus; et vota vovebunt Domino et solvent; et dicent cum David: Sacrificium Deo spiritus contribulatus (Ps. L, 19); et: Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum (Ps. CXL, 2); quando credentes in Nazaraeum, et ipsi fuerint Nazaraei, vinum et siceram non bibentes (Joan. XIX), et acetum quod Domino propinatum est, et quaecumque fiunt ex uva Sodomitica. Cumque vota persolverint cum Abel, et respexerit ea Deus, invidebit frater major Cain, id est, Circumcisionis populus, et effundet sanguinem christianum, qui clamabit ad Dominum (Genes. IV); et idcirco egredietur a facie Dei, dicens de Salvatore: Crucifige, crucifige eum (Luc. XXIII, 11); et: Nos non habemus regem nisi Caesarem (Joan. XIX, 15). Votum offert et solvit Domino, qui est sanctus corpore et spiritu. Votum obtulit et Zachaeus, qui mediam partem substantiae suae pauperibus repromisit (Luc. XIX). Quaeritur, si Aegyptis salvator et propugnator est missus qui liberet eos de angustiis, quomodo nunc dicatur: Percutiet Dominus Aegyptum plaga? Sed consideremus quod sequitur: Et sanabit eam. Quem enim diligit Dominus, corripit (Hebr. XII). Et ipse Salvator in sexagesimo octavo Psalmo loquitur ad Patrem: Quoniam quem tu percussisti, ipsi persecuti sunt: et super dolorem vulnerum meorum addiderunt (Psal. LXVIII, 27). Si ergo proprio filio non pepercit, sed tradidit eum pro nobis, ut illius livore, et vulneribus sanaremur (Rom. VIII): tradidit Dominus et martyres passioni, sed rursum eos in resurrectione sanabit, ut illorum vulneribus fides credentium confirmetur. Unde et ad Job dicitur: Putas me tibi aliter locutum, nisi ut appareres justus? Ipse enim

dolorem facit, et reddit pristinae sanitati; et visitat servos suos in virga, ut misericordiam suam non auferat ab eis. Unde filiae, et nurus, quae multum peccaverunt, et divaricaverunt pedes suos omni transeunti, non visitantur neque corripiuntur, dicente Domino: Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatae: et super nurus vestras, cum adulteraverint (Ose. IV, 14). Percutit ergo Aegyptios Dominus, non igne, non gladio, sed virga. Quis enim filius est, quem non erudiat pater? Ut postquam sanati fuerint, revertantur ad Dominum, et placetur eis, et rursum sanet eos. Semper enim indigemus misericordia Dei, et nullus est finis ejus clementiae.

## (Vers. 23.)

In die illa erit via de Aegypto in Assyrios: et intrabit Assyrius in Aegyptum, et Aegyptius in Assyrios: et servient Aegyptii Assyriis.

Quomodo caetera quae praecedunt in bonam partem accidisse Aegyptiis demonstravimus, quinque videlicet civitates in terra eorum loquentes lingua Chananitide, et jurantes per Dominum et altare Domini in medio terrae Aegypti collocatum, et titulum, et testimonium, et signum, et salvatorem, qui liberaret eos; et quod Dominus cognosceretur ab Aegyptiis, et ipsi cognoscerent eum; et quod offerrent hostias et munera, et vota persolverent et percussi sanarentur, et reverterentur ad Dominum, et placaretur eis, et iterum sanarentur: sic et hoc quod sequitur, servire Aegyptios Assyriis, in bonam partem accipiendum est. Servit enim et Apostolus credentibus, ut lucri eos faciat (I Cor. IX). Et Esau subjicitur fratri suo Jacob (Genes. XXXIII), ut particeps fiat benedictionum ejus Igitur qui priores de gentibus salvati fuerint, et habuerint in se altare Domini, eos qui in duritia perseverant, sua servitute salvabunt, et commixtione ac societate eorum, ipsi pergent ad Assyrios, ut Assyrios ducant ad Aegyptum; et postea

possint ad Israeliticum populum pervenire. Ob hanc causam reor, et fidelem mulierem servire viro infideli, ut paulatim eum de Aegypto, et Assyriis pertrahat ad Judaeam.

## (Vers. 25, 26.)

In die illa erit Israel tertius Aegyptio et Assyrio, benedictio in medio terrae, cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Aegypti, et opus manuum mearum Assyrius: haereditas autem mea Israel.

Tertius erit Israel in Aegypto et in Assyriis, ut omnem massam suae benedictionis fermento misceat, et qui prius contra se hostiliter dissidebant, hac benedictionis fibula copulentur; et sit populus Dei Aegyptus, et opus manuum ejus Assyrius, haereditas autem ejus Israel. Benedictus est Aegyptius Domino, quia Israelis societate benedicitur. Et opus manuum ejus Assyrius, quia in ipso suam clementiam demonstravit. Israel autem solus potest dicere: Pars mea Dominus (Thren. III, 24); qui mente conspicit Deum, et ejus haereditas appellatur.

## (Cap. XX.---Vers. 1 seqq.)

Anno quo ingressus est Thartan in Azotum: cum misisset eum Sargon rex Assyriorum, et pugnasset contra Azotum, et cepisset eam: in tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiae filii Amos, dicens: Vade et solve saccum de lumbis tuis, et calciamenta tua tolle de pedibus tuis: et fecit sic, vadens nudus et discalciatus. Et dixit Dominus: sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalciatus, trium annorum signum et portentum erit super Aegyptum et super Aethiopiam. Sic minabit rex Assyriorum captivitatem Aegypti, et transmigrationem Aethiopiae, juvenum, et senum, nudam et discalciatam, discoopertis natibus ignominiam Aegypti. Et timebunt et

confundentur ab Aethiopia spe sua, et ab Aegypto gloria sua. Et dicet habitator insulae hujus in die illa, Haec erat spes nostra? Ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos a facie regis Assyriorum? Et quomodo effugere poterimus nos?

Pro Thartan LXX Thanatan transtulerunt: et pro Sargon, Arna: quod quid interpretetur, scire non possumus. Neque enim falsorum nominum falsas possumus etymologias fingere. Sunt autem nomina non Hebraea, sed Assyria, e quibus sonare cognovimus Thartan, turrem dedit, vel superfluus, sive elongans. Sargon autem princeps horti. Hic rex Assyrius quem supra legimus sensum magnum, habet duces plurimos, quorum unus est Thartan, elatus in superbiam, et longe procedens in scelere, et amplior caeteris: et mittitur ad impugnandam Azotum, quae Hebraice dicitur ASDOD, et interpretatur, ignis generationis; expugnatque dux regis Assyrii eos qui generationi et libidini serviunt. Et pulchre rex Assyriorum Sargon princeps hortorum, dicitur voluptati, et luxuriae deditus. Denique et Achab rex Israel vineam Naboth vertere in hortum cupiebat (III Reg., XXI), quod ille juxta leges tropologiae intelligens, mori maluit quam facere, ne haereditas paterna, et antiqua possessio in impii regis delicias verteretur. Praecipitur autem Prophetae, ut sacco calciamentisque depositis, nudus et discalciatus incedat, et in signum sit atque portentum Aegyptiis, et Aethiopibus qui Dei populum persecuti sunt, et propter superbiam fuere humiles. Aegyptus enim interpretatur persequens, sive tribulans: Aethiopes, humiles atque dejecti: omnis enim qui se exaltat, humiliabitur (Luc. XIV, 11). Qui ducendi sunt in captivitatem, et trium annorum tormenta passuri (Exod. XII), de quibus annis, in Psalmis legimus: Cogitavi dies antiquos, et annos aeternos in mente habui (Ps. LXXVI, 6). Quae non putemus parva esse supplicia, sed magnis elongata temporibus. In ipsa autem captivitate et transmigratione Aegypti, ibunt juvenes, et senes, qui in

malitia roborati sunt, et ad perfectae aetatis vitia pervenerunt, nudi, ut omnia eorum scelera pateant (Nihil enim (Luc. VIII, 7) occultum quod non revelabitur), et discalciati, quia Pascha Domini comedere non poterunt: quod qui comedit, accinctos habet lumbos, et tenet manu baculum, et calciatis stat pedibus, ne per saeculi hujus solitudinem transiens, a serpentibus mordeatur (Exod. XII). Tunc discoopertae erunt nates eorum, per quas stercus egeritur, et omnis ignominia Aegypti demonstrabitur, ita ut confundantur qui habuerunt spem in Aegypto et in Aethiopia, et gloriam suam in confusionem viderint esse mutatam: in tantum, ut habitator insulae hujus, id est, saeculi, qui non est advena et peregrinus, sed perpetuam mundi possessionem habere cupiebat, confusus dicat: Haec est Aegyptus, et haec est Aethiopia, quarum sperabamus auxilium, ut a principe mundi istius nos liberarent? Quomodo ergo effugere poterimus, cum capti sint hi in quibus spem habebamus? Et hoc notandum, quod antequam capiatur Azotus, Propheta sacco vestitus sit, et calciatis pedibus, ut plangat quidem eos, qui ardentibus diaboli jaculis vulnerati sunt, et libidini serviunt; sed nihilominus ipse calciatus incedat, ut calcare possit super serpentes et scorpiones, et securus incedere per hujus saeculi eremum, in qua sunt serpentes et scorpiones, et bonarum rerum sitis. Postquam autem Azotus capta fuerit, in typum captivitatis Aegypti, et transmigrationis Aethiopiae, ipse discalciatus et nudus incedat. Neque enim in Terra sancta, ad quam ire festinat, sacco vestitus, et opertis pelle pedibus, vel stare poterat, vel ambulare, dicente Domino: Solve calciamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est (Exod. III, 5).

## (Cap. XXI.---Vers. 1 seqq.)

Onus deserti maris. Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili. Visio dura nuntiata est mihi: qui incredulus est, infideliter agit, et qui

depopulator est, vastat. Ascende Elam, obside Mede: omnem gemitum ejus cessare feci. Propterea repleti sunt lumbi mei dolore: angustia possedit me, sicut angustia parientis.

LXX: Visio deserti maris. Sicut tempestas de deserto transeat, de deserto veniens. De terra horribili visio dura annuntiata est mihi: praevaricator praevaricatur, et iniquus inique agit. Contra me Elamitae, et legati Persarum veniunt: nunc ingemiscam, et consolabor me: idcirco repleti sunt lumbi mei angustia, dolores apprehenderunt me, sicut parturientem. Quid nobis videatur juxta Historiam breviter diximus: nunc tropologiae summa carpamus. Visio, vel pondus contra saeculi hujus cernitur mare: et cernitur a Propheta, quantis tentationibus mundus hic plenus sit. Quod autem mare appelletur saeculum (ut multa praeteream) uno testimonio Psalmi contentus sum: Qui descendunt mare in navibus, facientes operationes in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo (Ps. CVI, 23). Qui enim operantur in hoc saeculo opus Dei, et cum Propheta dicunt: Veni in profundum maris, ipsi vident mirabilia ejus in profundo; et liberati de tentationibus et angustiis, horribilem et duram visionem audisse se dicunt. Haec autem ipsa tempestas a deserto venit, in quo tentatus est et Dominus (Matth. IV), et Israel colubri morsibus, et scorpionum ictibus patuit (Num. XXI). Cumque venerit, pertransit, et praeterit: et tunc intelligit ille qui sustinet, quod non praevaricatur nisi qui praevaricator est, et non agit inique nisi iniquus. Ut igitur maris fluctibus obruamur, et opprimat nos saeva tempestas, nostri vitii est, qui ante tempestatem praevaricatores fuimus et iniqui. Quodque dicit: Contra me Elamitae, et legati Persarum veniunt, hic sensus est: Elamitae interpretantur despicientes: Persae, tentantes. Veniant igitur hi qui despicere solent, contemnere, atque tentare: sed ego ingemiscam, et gemitus meus erit mea consolatio. Sed et lumbi mei repleti sunt angustia, et

obtinuerunt me dolores quasi parturientem, ut a timore Domini concipiam et pariam, et spiritum salutis ejus faciam super terram. Recte autem juxta Hebraicum turbines atque tempestates de deserto veniunt, et de terra horribili, ubi non est habitator Deus, et ubi universa terrena sunt: et quicumque est incredulus agit rem congruam infidelitati suae, et qui depopulator est, vastat. Unde audacter contra adversarios loquitur, Ascende Elam; obside Mede: omnem gemitum deserti maris, et terrae horribilis, et visionis durissimae, quae nuntiata est, cessare feci. Quia lumbi mei agentes poenitentiam, nequaquam ut prius voluptate, sed dolore sunt pleni, nec ultra dicam: Lumbi mei impleti sunt illusionibus (Ps. XXXVII, 7). Angustia enim possedit me et tribulatio, sicut solet tenere parturientem. Multum inter se Vulgata editio, et Hebraicum in hoc loco discrepant: ideo breviter utramque perstringemus, ne --- carpendi nos occasiunculam relinquamus.

## (Vers. 4, 5.)

Corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem: emarcuit cor meum, tenebrae obstupefecerunt me: Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. Pone mensam, contemplare in specula comedentes, et bibentes: surgite, principes, arripite clypeum.

LXX: Inique egi ut non audirem, festinavi ut non viderem, errat cor meum: iniquitas inundavit super me; anima mea insistit timori. Para mensam, speculare speculam: comedite, bibite: surgite, principes, parate clypeos. Prae auditu, et visione durissima quam cernebat de deserto mari Propheta venturam, corruisse et turbatum esse se dicit, et propemodum caligantibus oculis, et stupefacta mente, nescisse quid cerneret. Illa enim Babylon (pro qua Aquila, et Theodotio, tenebras interpretati sunt, ut significarent mundum istum, qui in maligno positus est (I Joan. V), et cujus principes sunt

juxta apostolum Paulum (Ephes. VI), rectores tenebrarum istarum), quae quondam vel Prophetae, vel Deo amabilis fuit, facta est in sua subversione mirabilis. Unde Prophetae praecipitur, ut vescens in mensa Domini, et illius saturatus cibo, diligentius contempletur, quae ventura sint mundo: diciturque per eum ad omnes credentes, ut comedentes et bibentes corpus et sanguinem Domini, vertantur in principes Ecclesiae, et cum Apostolis audiant, Surgite: arripiantque clypeum fidei de armatura Apostoli Pauli (Ephes. VI), in quo possint ignita diaboli jacula exstinguere. Hoc juxta Hebraicum, et coeptam super mundo interpretationem. Transeamus ad editionem LXX, quae multum a superioribus discrepat. Corripit se Propheta, immo sub persona sua aliorum confitetur errorem, qui sequentes occidentem litteram, contemnunt spiritum vivificantem; et inique fecisse se dicit, ut non audiret legem spiritualiter: sed econtrario festinaret Dei sacramenta non cernere, nec diceret cum David: Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua (Ps. CXVIII, 18). Idcirco errat cor ejus, et Judaica superstitione completum, non in charitate Dei, sed in timore consistit, ut habeat spiritum servitutis in timore, et nequaquam spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater (Rom. VIII). Unde praecipitur ei, ut accedat ad mensam ciborum spiritualium, comedantque omnes in ea, qui illius sequuntur exemplum, et bibant: et veteri errore contempto consurgant, in spiritu qui jacebant in littera, et fiant principes, dicantque cum Propheta: Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos (Ps. V, 15).

## (Vers. 6, 7.)

Haec enim dixit mihi Dominus: Vade et pone speculatorem, et quodcumque viderit annuntiet. Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli, et contemplatus est diligenter multo intuitu, et clamavit leo.

LXX: Quia sic dixit ad me Dominus: Vade et pone tibi speculatorem, et quodcumque videris, annuntia. Et vidi ascensores equites duos, ascensorem asini, et ascensorem cameli: audivi auditum multum, et vocavi Uriam ad speculam. Jubetur Propheta ponere in corde suo speculatorem, et diligentius intueri quae ventura sunt mundo: viditque duos equites, ascensorem asini, et ascensorem cameli. Quos quidam sic interpretatus est ut ascensorem asini juxta Evangelicam lectionem (Mat. XXI), et prophetiam Zachariae (Zach. IX), Christum diceret; et econtrario ascensorem cameli, contrariam fortitudinem, propter foeditatem tortuosi animantis. Alii vero duos ascensores litterae et spiritus ad duo referunt Testamenta. Illudque quod in Hebraico dicitur ARIE, pro quo Aquila, et Symmachus leonem et leaenam interpretati sunt, nescio quid volentes LXX --- posuerunt, quod quidam lumen Domini interpretari putat, cum aliis litteris lumen Domini, quod hic non habetur, et aliis scribatur leo, quid hic legitur. Vultque speculatorem istum, quem jubetur Propheta ponere in corde suo, appellari Uriam, et per interpretationem nominis refert ad Christi intelligentiam, ut ipso habitante in nobis, possimus cernere quae ventura sunt. Quod quidem, et leoni poterit coaptari, quia Jacob (Genes. XLIX) et Balaam (Num. XXIII et II) sub Christi mysterio nominatur.

## (Vers. 8-10.)

Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem, et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. Ecce iste venit ascensor vir bigae equitum, et respondit et dixit: Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terra. Tritura mea, et filii areae meae, quae audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis.

LXX: Dominus dixit: Steti per totam diem, et super castra ego steti tota nocte: et ecce ipse venit ascensor

bigae, et respondens ait: Cecidit, cecidit Babylon, et omnia simulacra ejus, et manufacta contrita sunt in terra. Audite qui derelicti estis, et doletis: audite quae audivi a Domino Sabaoth, Deus Israel annuntiavit nobis. Stat Propheta in specula Domini, et in illius lumine constitutus quae ventura sint, prospicit. Hancque habet custodiam, et hoc sibi officium delegatum, ut in saeculi istius tenebris quae ventura sint conspiciat. Ecce iste, inquit, venit, hoc quod sequitur, se vidisse significans, venire Dominum Salvatorem sedentem super bigam, et duobus equis, immo animantibus, asino et camelo unum currum jungentem. Qui ascensor bigae desideranti Prophetae, et verba ejus audire cupienti, respondit et dixit: Cecidit, cecidit Babylon, totius orbis confusio: et in adventu meo cecidit, quo humanum corpus assumpsi, et penitus in consummatione mundi ruitura est. Et omnia sculptilia ejus contrita sunt in terra. Pro quo Septuaginta simulacra et manufacta interpretati sunt, significantes Scripturam haereticorum variosque errores haereseωn, qui fabricatores sunt idolorum, et adorant quae de suo corde finxerunt. Quodque sequitur ex persona Prophetae dicentis: Tritura mea, et fili areae meae, quae audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis, juxta Hebraicum hunc habet sensum: O popule, qui condendus es in horrea mea, quem idcirco trivi in variis angustiis, ut paleas ab eo excuterem, et purissimum triticum in meis horreis conderetur, quae audivi a Domino exercituum Deo Israel esse ventura universo mundo, haec vobis qui in mundo estis omnibus nuntiavi. Alii vero dicunt adhuc superiorem esse personam, videlicet Domini Salvatoris, quod ipse loquatur ad Apostolos: Quae audivi a patre annuntiavi vobis (Joan. XV, 15). Et quia pro hoc in LXX legitur, audite qui relicti estis, et doletis, hic mihi juxta interpretationem eorum sensus videtur: O Apostoli, de quibus scribit Isaias: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma essemus, et similes Gomorrhae fuissemus (Isa. V, 9), quorum reliquias et Apostolus ad Romanos docet esse salvatas (Rom. IX): qui relicti estis

de populo Judaeorum ut salvaremini; et doletis super perditione gentis vestrae, de qua et alibi legimus: Tristitia est cordi meo, et dolor continuus pro fratribus meis, qui sunt Israelitae secundum carnem (Rom. IX, 2, 3): haec quae audivi a Deo Patre, vobis annuntio, quae Deus Israel vobis ventura praedicit.

## (Vers. 11, 12.)

Onus Duma: ad me clamat ex Seir: Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? Dixit custos, venit mane, et nox. Si quaeritis, quaerite: convertimini, et venite.

LXX: Visio Idumaeae, ad me clamat de Seir: Custodite propugnacula, custodio mane et nocte; si quaeris, quaere: et apud me habita. Verbum Hebraicum ELAI, quod omnes interpretati sunt, ad me, si volueris legere ELI, interpretatur Deus meus, vel fortis meus. Quodque nos diximus, clamat, vel vocat, id est, --- , secundum Hebraei, et Graeci sermonis ambiguitatem dici potest clama, vel voca; et est sensus: Deus qui est custos meus, die ac nocte me ad poenitentiam vocat, ut relinquens Seir, quod interpretatur hispidas ac pilosus, revertar, et habitem apud eum. Duma vel similitudinem, vel silentium, sonat. Idumaea autem in terrenam vertitur. Dominus ergo loquitur ad Apostolorum chorum, et praecipit ei: Ad me voca eos qui sunt de Seir, ut mihi serviat gentium multitudo, quae in similitudinem Esau nihil in se habet molle et leve, ac nitidum, sed est hispida, fera, intractabilis. Et o vos, Apostoli, postquam vocaveritis ad me nationes de Seir, custodite Ecclesiae propugnacula, ne facile hostis irrumpat: ne leo rugiens atque circuiens, qui quaerit aditum per quem possit intrare, clausum in Ecclesia gregem laceret atque disperdat. Responditque Ecclesiae multitudo: non solum in prosperis, sed in adversis, hoc est, et in die, et in nocte, tua, Deus, praecepta servabo. Ad quam loquitur Deus: Si vere me quaeris, opere ostende quod me quaeras; nec

semel tibi quaesisse sufficiat; sed quem inveneris, semper inquire; et ut perfectius teneas, obliviscere populi tui, et domus patris tui, et deserto errore gentilium, apud me in Ecclesia commorare. Hoc juxta LXX dixerimus, qui visionem Idumaeae, hoc est, terrenae ponunt in titulo, ut eos ostendant vocari, qui prius terrenis operibus serviebant. Porro juxta Aquilam, qui Duma, hoc est, silentium posuit, vel similitudinem, sic possumus intelligere, ut ad similitudinem populi Israel provocetur gentium multitudo, et ubi prius silentium fuerat legis Dei, ibi confessionis clamor sit: et oleaster inferatur in bonam olivam. Legimus et in parabola Evangelii missos servos, qui vocarent bonos et malos, ac patrisfamilias de quibuslibet implerent convivium, quia priores venire noluerunt (Matth. XXII). Potest et Ecclesia narrare quod Dominus de Seir, hoc est, de terrenis locis ad se vociferetur, seque provocet ad salutem, et dicat ad ipsum Dominum: O custos, quid de nocte consurgens versaris in tenebris? quid absque peccato in carne es peccatrice? qua causa voluisti humanum corpus assumere? Respondit custos, hoc est, Samaritanus, qui in Evangelio vulneratum suis humeris ad stabulum reportavit (Luc. IX): Venit mane et nox. Et est sensus: Gentium multitudini ortus est sol justitiae, et Judaeis venerunt tenebrae. Juxta quod dicitur a Domino: In judicium mundi istius ego veni, ut non videntes videant, et videntes caeci fiant (Joan. IX, 39). Et ipse custos qui dixerat: Venit mane et nox, loquitur ad gentium multitudinem: Si me quaeritis, studiosius quaerite. Convertimini ad me, filii convertentes, et ego sanabo contritiones vestras, et venite ad me. Loca difficilia sunt, et cum secundum historiam minime pateant, cogimur juxta „anagoge" diversas opiniones sequi.

## (Vers. 13.)

Onus in Arabia.

Hoc in editione LXX Interpretum non habetur: sed quod sequitur: In saltu ad vesperam dormietis in semitis Dodanim, cum priori visione conjunctum est, ut legatur, si quaeris, quaere: et ad me habita in saltu. Arabia in lingua nostra, vesperam sonat, quae noctis et tenebrarum principium est, omnisque qui habet initium peccatorum, versatur in vespera. Qui autem venit ad summum, in media nocte consistit. Unde et in Aegypto primogenita in media nocte caeduntur (Exod. 12). Et Apostolus Petrus, antequam gallus cantaret, ter Dominum negavit, quod media nox intelligitur (Mat. XXVI): Postquam autem nox praecessit, et coepit dies appropinquare, superatis mediae noctis tenebris, et gallo lucis nuntio resonante, flevit amare, et intellexit peccatum suum, et eo tempore dicere potuit: Ad vesperam demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia (Ps. XXIX, 6). Hoc interim de praesenti loco. Caeterum nomen Arabiae, id est, vesperae et Occidentis, in aliis Scripturarum locis diversas intelligentias recipit.

In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dodanim. LXX: In saltu ad vesperam dormietis in via Dedan. Qui in malitia esse coeperunt, et peccatorum ingrediuntur viam, non dormiunt, nec morantur in agris consitis, et novalibus, nec in pratis, et segetibus, quas ad metendum esse candentes, Salvator docet, nec inter arbores pomiferas; sed in infructuosis saltibus, ubi vepres et spinae sunt, et bestiae commorantur. De hujuscemodi saltu et in Regum volumine legimus, quod plures devoraverit silva vel saltus, quam interfecti sint gladio, quando Absalon adversus patrem exstitit perduellis (I Reg. XVIII). Recteque, quia vespera principium malorum est, in via et in semitis habitare dicuntur, et in via Dedan, quod interpretatur judicia. Quot enim habent peccatorum genera, tot judiciorum merentur sententias. Potest autem Dedan et grande judicium interpretari.

## (Vers. 14, 15.)

Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. A facie enim gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis praelii.

LXX: In occursum sitienti ferte aquam qui habitatis in regione Theman, cum panibus occurrite fugientibus propter multitudinem occisorum, propter turbam errantium, propter multitudinem gladii, et propter multitudinem arcuum intentorum, et propter multitudinem cadentium in bello. Vos qui estis in Theman, quod interpretatur Auster atque perfectio, et in eo versamini loco, de quo scriptum est: Deus ab Austro veniet (Abac. III, 4), et qui consummati estis atque perfecti, et habetis in vobis lumen scientiae Scripturarum, fugientibus de Arabia, et de saltu, occurrite cum aqua et panibus, et nolite exspectare donec ipsi ad vos veniant; sed imitamini illum Evangelicae parabolae patrem, qui occurrit filio revertenti. Et ille quidem dedit stolam, obtulit annulum (Luc. XV): vos autem aquas et panes offerte fugientibus, ut qui lassi erant atque confecti, vestra misericordia sustententur, et ad sedes vestras citius transeant. Fugerunt enim gladios haereticorum, doctrinam gentilium, blasphemias Judaeorum. Et quia multos viderunt eorum jaculis interfectos, et cecidisse in praelio plurimos, ipsi cupiunt vestro auxilio liberari. Locus hic proprie adversus eos intelligi potest, qui tradentes se otio atque desidiae, propria salute contenti sunt, nec poenitentibus atque conversis porrigunt manum.

## (Vers. 16, 17.)

Quoniam haec dicit Dominus ad me: Adhuc in uno anno, quasi in anno mercenarii, et auferetur omnis gloria Cedar et reliquiae numeri sagittariorum fortiter de filiis Cedar imminuentur. Dominus enim Deus Israel locutus est. Ideo vobis dico, ut occurratis cum aqua et panibus,

fugientibus de saltu et Arabia: quia Dominus haec futura pollicitus est. Sicut annus mercenarii cito praeterit, qui quotidie nihil aliud nisi mercedem sui laboris exspectat, vel certe semper in opere est ac labore, ut mercedem laboris accipiat: sic omnis gloria Cedar, quod interpretatur tenebrae, de quo et in Psalmo legimus: Habitavi cum habitantibus Cedar (Ps. CXIX, 5), velociter auferetur, et omnis sagittariorum, id est, diversorum dogmatum numerus, qui constitutos in saltu Arabiae vulnerabat, redigetur in nihili, postquam fugientes de saltu fuerint liberati: et aquam baptismi salutaris acceperint, comederintque coelestem panem. Haec enim futura Dominus omnium, et proprie Deus Israel, id est, mente cernentium Deum, locutus est.

## (Cap. XXII.---Vers. 1.)

Onus vallis visionis.

LXX: Verbum vallis Sion. In libro Hebraicorum Nominum posuimus, Sion interpretari speculam quae in sublimibus sita, de longe venientia contemplatur. Cum igitur Sion juxta leges tropologiae referatur ad Ecclesiam, ut est illud in secundo psalmo ex persona Domini Salvatoris: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus (Psal. II, 6); et: Qui confidunt in Domino sicut mons Sion (Ps. CXXIV, 1); et: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob (Ps. LXXXVI, 1); Et manifestius Apostolus: Accessistis, inquit, ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem (Heb. X, 22): quaerimus quare in praesenti visione, vallis Sion dicatur. Ipsaque verborum consequentia trahimur ad intelligentiam spiritualem, ut omnes perversorum dogmatum principes, qui corruerunt de sublimitate sensus sanctarum Scripturarum, et ad humilia devoluti sunt, sciamus in Sion valle versari. Tale quid puto et Salomonem in Proverbiis, dicere: Oculum qui irridet patrem, et despicit senectutem matris, effodiant eum

corvi de convallibus, et comedant illum pulli aquilarum (Prov. XXX, 17). Statim enim ut sensus haereticorum irriserit Creatorem Patrem, et senectutem Ecclesiae matris despexerit, effoditur a tetris et immundis volucribus, quae referuntur ad contrarias fortitudines. Nec possunt istiusmodi dicere: Levavi oculos meos in montes, unde veniat auxilium mihi (Ps. CXX, 1): sed in modum brutorum animantium ad terrena depressi sunt.

Quidnam tibi quoque est, quia ascendisti et tu omnis in tecta?

LXX: Quid factum est tibi nunc, quia ascendistis omnes in tecta vana? Hoc quod juxta LXX interpretes in Regum volumine quaeritur, quid sibi velit dicente Eliseo (IV Reg. II, 14): Ubi est Deus Eliae APHPHO, in praesenti loco manifestius ponitur, pro eo quod Septuaginta transtulerunt nunc; in Hebraeo habet APHPHO, quod nos interpretati sumus nunc quoque, et Aquila volens Hebraicum servare idioma, posuit ---, quam conjunctionem Latinus sermo non explicat. Quando autem dicit, quidnam tibi quoque est? interrogat cur inter alios et ipsa conscendat, atque opinione sublimium in humilibus commoretur. Et est sensus: cum Philosophi tumeant, et omnis sapientia saecularis de sublimibus disputans, simplicitatem contemnat Ecclesiae, cur tu quoque excelsa sectaris? quae LXX, --- , id est, tecta vana, interpretati sunt, ut ostenderent esse et aliud tectum, de quo Salvator descendere prohibet (Matth. XXIV): quod tamen non sit tectum vanum. Denique et apostolus Petrus hora orationis sexta ascendit in tectum (Act. X). Nunc autem, ut ostenderet multam haereseon varietatem, non unum tectum, sed tecta plurima nominavit.

## (Vers. 2.)

Clamoris plena, urbs frequens, civitas exsultans.

LXX: Repleta est civitas clamantium, urbs exsultans. Doctrina haereticorum non in sensu, sed in multiloquio et clamore versatur. Unde ob multitudinem deceptorum, frequens civitas appellatur, et exsultans, propter superbiam. Inflati enim tument, et sacratiora se invenisse gloriantur.

Interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui in bello.

LXX: Vulnerati tui non vulnerati gladio, nec mortui tui mortui in bello. Maxima pars absque ullo certamine et disceptatione, haereticorum deceptionibus supplantatur, et haec est turba quamplurima. Interfecti igitur, sive ut Septuaginta transtulerunt, vulnerati vallis Sion, non sunt interfecti, et vulnerati gladio, sed voluntate propria ad haereticos transierunt, et comparatione eorum, qui post praelium victi sunt, infelicius ille vulneratus, et interfectus est, qui sponte se tradidit. Quomodo et in martyrio qui post poenas victus manus dedit, levioris poenae est eo qui absque ulla necessitate et dolore cruciatuum Christum negavit.

## (Vers. 3.)

Cuncti principes tui fugerunt simul, dureque ligati sunt.

In hoc loco Septuaginta interpretationem secuti sumus, quia non multum ab Hebraico distat in sensu. Caeterum ut verbum ex verbo de Hebraeo transferam, ita apud eos legitur: Omnes primates tui migraverunt simul, ab arcu ligati sunt: quam editionem, et alii interpretes secuti sunt. Migraverunt enim omnes haereticorum principes ad synagogam Satanae a Christi Ecclesia, et transierunt simul discordes in perfidia, in transitu concordes, et ligati sunt ab arcu, de quo in Psalmo scriptum est: Ecce peccatores intenderunt arcum,

paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde (Ps. X, 2), et mittant ignita diaboli jacula quae vulnerent pariter, et ligent. Ideoque dure ligati sunt, quia obturaverunt aures suas sicut aspides surdae, et obturantes aures, quae non exaudient voces incantantium, nec venefici incantantis sapienter. Ob quam causam, et Apostolus Paulus haereticum post unam vel alteram commonitionem, perversitati suae praecipit relinquendum (Tit. III), quia perversus est, et proprio judicio condemnatus. Et nobis enim exierunt, sed non erant ex nobis: si enim ex nobis fuissent, mansissent utique nobiscum (I Joan. II, 19). Horum principum fugitivorum ille princeps est, quem idem Isaias vocat draconem fugientem, colubrum tortuosum, qui cum verba mortifera in aures miserit deceptorum, dure eos ligat, et de vinculis suis exire non patitur: de quibus sanctus erutus gratulabatur in Psalmo: Anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium (Ps. CXXIII, 7). Et in alio loco gaudens quod evaserit, loquitur; Susceptor meus es tu, et refugium meum. Deus meus, sperabo in eum. Quoniam ipse eruit me de laqueo venantium, et a verbo aspero (Ps. XC, 23), sive turbulento, quod proprie haereticorum doctrinam significat.

Omnes qui inventi sunt in te, vincti sunt pariter, procul fugerunt.

LXX: Et fortes in te longe fugerunt. Adhuc sermo Prophetae contra vallem Sion, cujus habitatores ascenderunt in tecta vana, et clamaverunt clamore confuso, et vulnerati sunt absque praelio, cujus principes omnes fugerunt, et dure ligati sunt, et qui fortes inter eos erant, longius aufugerunt. Quanto enim quis in haeretica perversitate prudentior est, tanto longius recedit a Domino. Quod autem dicit juxta Hebraicum: Omnes inventi sunt in te, hoc notare debemus, quod et haeretici eos quos deceperint, invenisse se dicant: sed inventio eorum, perditio est. Denique pariter colligantur, et procul

fugiant. Nec mihi placet illa expositio, secundum diversitatem haereseon diversa esse et spatia fugientium, cum Scriptura sancta dicat (Luc. XI, 23): omnes qui ab haereticis sunt reperti pariter colligatos, et fugisse longissime, dicente Domino: Qui non est mecum, contra me est: et qui mecum non colligit, spargit. Unde de Moyse dicitur (Exod. XXIV), appropinquabat Moyses solus ad Deum, caeteri vero non appropinquabant. Deus enim sanctis suis, Deus appropinquans est, et non de longe, dicit Dominus.

## (Vers. 4-6.)

Propterea dixi: Recedite a me, amare flebo: nolite incumbere ut consolemini me super vastitate filiae populi mei. Dies enim interfectionis et conculcationis, et fletuum a Domino Deo exercituum in valle visionis, scrutans murum et magnificus super montem.

LXX: Propterea dixi: Dimitte me, amare flebo: nolite contendere, ut consolemini me super contritione filiae generis mei: quia dies tumultus, et perditionis, et conculcationis, et error a Domino Deo Sabaoth in valle Sion; errant a minimo usque ad maximum: errant super montes. Et Samuel plangebat Saul (I Reg. XV), et Dominus atque Salvator flebat Jerusalem (Luc. XIX; II Cor. XII, 21): et Apostolus scribit ad Corinthios: Ne cum rursus venero ad vos, humiliet me Deus, et lugeam multos qui ante peccaverunt, et non egerunt poenitentiam. Unde compatientis affectu et ad alios loquitur: Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror (II Cor. XI, 29)? Igitur et Propheta videns populum quondam visionis vana tecta conscendere, et in clamore versari; cunctosque principes ejus fugisse, et ligatos esse vinculis peccatorum, erumpit in lacrymas, et abigit consolantes, et fletu amarissimo se flere testatur, non super filios, sed super filiam populi sui, quae virilitatis perdidit dignitatem. Dies enim judicii, et interfectionis, et

conculcationis, nequaquam erit Jerusalem, quae interpretatur visio pacis: sed antiqui nominis Jebus, quae interpretatur conculcatio: fletuum quoque sive erroris, ut Septuaginta transtulerunt a Domino Sabaoth, non quo fletus et error a Domino sit; sed per occasionem sanctarum Scripturarum, quas Dominus legendas dedit, illis nascitur erroris occasio, qui possunt dicere: Quare nos errare fecisti a via tua (Isa. LXIII, 27)? Et in alio loco: Dominus eis miscuit spiritum erroris (Ibid. XXIX, 10): ut non in Visionis monte, sed in Sion valle consisterent. Haec autem ipsa dies, quae a Domino exercituum in valle oritur Visionis, ut singulorum opera demonstret, scrutatur murum haereticorum, quem adversum Ecclesiam quasi firmissimum propugnaculum construxerunt; et magnificum gloriosumque, id est, doctores eorum, qui se super Christo monte consistere gloriantur. De quo alibi legimus: Venite, ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Jacob: et annuntiabit nobis viam suam (Isa. II, 3). Porro quod LXX transtulerunt, errant a minimo usque ad maximum, errant super montes, hoc sentire debemus, in majori scelere esse eos, qui majores sunt, et tamen a minimo usque ad maximum errare cunctos, et errare super montes: Moysen, Jeremiam, caeterosque Prophetas, Evangelistas et Apostolos. Cumque in valle versentur, mirum in modum errant in montibus:

## (Vers. 7-9.)

Et Aelam sumpsit pharetram, currum hominis equitis, et parietem nudavit clypeus. Et erunt electae valles tuae plenae quadrigorum: Et equites ponent sedes suas in porta. Et revelabitur operimentum Judae: et videbis in die illa armamentarium domus saltus: et scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatae sunt.

LXX: Elamitae autem tulerunt pharetras: ascensores: homines super equos: et congregatio pugnantium: et erunt electae valles tuae, implebuntur quadrigis, et

equites stipabunt portas tuas: et revelabunt portas Judae: et aspicient die illo in domus electas civitatis: et revelabunt abscondita domorum arcis David, et videbunt quoniam plures sunt. Aelam, quod interpretatur ascensus eorum, sive Elamitae, ut LXX transtulerunt, quos in contemptores vertimus, sumpserunt pharetram, ut agitent in obscuro rectos corde, qui sunt in curru equites hominum, ut parietem Sion et Ecclesiae firmamenta suo clypeo et impugnatione denudent. Erunt autem, inquit, electae valles tuae, et humilia dogmata, o vallis Sion, plenae quadrigarum, quas Dominus cum Pharaone submersit, quarum equites et ascensores ponent sedes suas in portis tuis, ut obsessos in te atque conclusos non patiantur exire. Tunc Omnipotens Deus per ecclesiasticos viros revelabit operimenta Judae; et universa secreta eorum, qui in confessione fidei constituti sunt, et tunc videbis, o vallis Sion, in die illa, et in claro lumine veritatis, omnem armaturam Apostoli, et domus saltus, in quo gentium turba consistit. Sicut et in CXXXI psalmo canitur: Ecce audivimus eam in Ephrata: invenimus eam in campis silvae (Psal. CXXXI, 6). Cum autem operimentum Judae atque secretum, quod prius propter mysterium celabatur, fuerit revelatum, et videris armaturam Ecclesiae; tunc intelliges schismata civitatis David, quae multiplicasti, ut deceptos tibi populos congregares. Isti Elamitae juxta editionem LXX non habent unam pharetram, sed plures; et ascensores sunt hominum, in quorum equitant animabus; et plurima multitudo est ad pugnam se praeparans contra Ecclesiam: ita ut omnes valles illius compleantur; et equites obturent sensus eorum, et dimicatione sua Ecclesiasticum virum, qui interpretatur Judas, provocent ad certandum: quo proferente testimonia Scripturarum, et cuncta redarguente mendacia, videbunt haeretici domos civitatis David, et omnia prius secreta cognoscent, quomodo in arce David qui interpretatur, manu fortis, hoc est Christi, omnia sint dogmata veritatis. Obscura loca sunt, non solum juxta historiam, sed juxta „anagogen".

Quibus ergo nostra displicuerint, debent proferre sua, ut explanationi eorum, si vera fuerit, acquiescamus.

## (Vers. 10, 11.)

Et congregastis aquas piscinae inferioris: et domus Jerusalem numerastis: et destruxistis domus ad muniendum murum. Et lacum fecistis inter duos muros, et aquam piscinae veteris: et non aspexistis ad eum, qui fecerat eam, et operatorem ejus de longe non vidistis.

LXX: Et averterunt aquam antiquae piscinae in civitatem: et destruxerunt domos Jerusalem ad firmandos muros civitatis: et fecistis vobis aquam inter duos muros intra piscinam antiquam: et non aspexistis eum qui a principio fecit eam: et creatorem illius non vidistis. Vos qui scissuras civitatis David, id est, Ecclesiae videbitis vel videtis, quae in toto orbe multiplicatae sunt; qui congregastis aquas piscinae vestrae atque doctrinae, non superioris, sed inferioris, et domos Jerusalem numerastis, sive destruxistis, ut muniretis murum vestrum, non fodistis puteos, qui vitales haberent et aeternas aquas, sed lacus contritos, qui aquam non valent continere. Et fecistis eos inter duos muros novi et veteris Instrumenti, et aquam piscinae veteris neglexistis, nec considerastis datorem legis Deum, et operatorem mundi penitus neglexistis. Hoc juxta Hebraicum. Caeterum juxta LXX consideraverunt se haeretici, quod multi essent, et hac multitudine confidentes, doctrinam veteris Testamenti averterunt a civitate Dei, quae est Ecclesia, et destruxerunt domos Jerusalem, ut aedificarent conciliabula malignantium; dumque vetus reprobant Instrumentum, nec novum secuti sunt, quia novum veteris Instrumenti testimoniis roboratur. Propterea inter duos muros veterem et novum, fecerunt sibi novas aquas, quas interiores esse putant, et majora continere mysteria, quam in Testamento veteri continentur: et non respexerunt Deum, qui veteris

Instrumenti conditor est, et factorem ejus ne longe quidem videre voluerunt.

## (Vers. 12 seqq.)

Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et ad planctum, ad calvitium et ad cingulum sacci: et ecce gaudium et laetitia, occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum: comedamus et bibamus, cras enim moriemur. Et revelata est in auribus meis Domini exercituum: si dimittetur iniquitas haec vobis donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.

Quotidie Dominus Deus exercituum provocat haereticos ad poenitentiam, qui inter duos muros aquam piscinae veteris contemnentes, foderunt sibi lacum, et congregaverunt aquam piscinae inferioris, quae non de coelo, sed de terra aquas habet; et vocat eos ad fletum; Beati enim flentes: quia ipsi ridebunt (Mat. V, 5). Et ad planctum, ne postea audiant: Lamentavimus vobis, et non planxistis (Id. XI, 17). Et ad calvitium, ut omnia opera mortis radant, et auferant de corpore suo quidquid non vivit in corpore. Et ad cingulum sacci, ne postea juxta Jerusalem pro cingulo reste cingantur. Illi autem e contrario pro fletu et planctu, calvitio et cilicio, gaudium habuere atque laetitiam, et quasi morte omnia finirentur, occidentes vitulos arietesque jugulantes, ut comederent carnes, et biberent vinum, locuti sunt verba blasphemantium. Dum in praesenti saeculo sumus, deliciis affluamus. Crastina enim dies, hoc est, futurum tempus, sine sensu erit. Illis ista dicentibus, audivit Dominus verba blasphemiae, et comminatus est, non se dimissurum esse hanc iniquitatem, donec aut peccato moriantur et vitiis, aut cum delictis suis ad inferos pertrahantur. Quod quidem non solum de haereticis, sed de omni potest intelligi peccatore, qui negligens peccata sua, desperatione fit pejor; et voluptatibus irretitus, jungit peccato blasphemiam, ut omnem sensum viventium putet

morte finiri, dicens illud Epicuri: «Post mortem nihil est, et mors ipsa nihil est.»

## (Vers. 15, 16, seq.)

Haec dicit Dominus Deus exercituum: Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam praepositum templi, et dices ei: Quid tu hic: aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulcrum? excidisti in excelso memoriale, diligenter in petra tabernaculum tibi. Ecce Dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus: et quasi amictum sic sublevabit te. Coronans coronabit te tribulatione: quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam: ibi morieris, et ibi erit currus gloriae tuae, ignominia domus Domini tui. Et expellam te de statione tua: et de ministerio tuo deponam te. Et erit in die illa, vocabo servum meum Eliacim filium Helciae: et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum: et potestatem tuam dabo in manu ejus, et erit quasi pater habitantibus Jerusalem, et domui Juda. Et dabo clavem domus David super humerum ejus: et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriae domui patris sui. Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus, vasorum diversa genera, omne vas parvulum a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum. In die illo dicit Dominus exercituum: Auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli, et frangetur et cadet: et peribit quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est.

LXX: Haec dicit Dominus Sabaoth: Vade ad pastophorion ad Somnam quaestorem, et dices ei, Quid tu hic? aut quid tibi est hic? quoniam excidisti tibi sepulcrum, et fecisti tibi in excelso memoriam: et descripsisti tibi in terra tabernaculum? Ecce Dominus Sabaoth ejiciet, et conteret virum, et auferet stolam et coronam tuam gloriosam, et projiciet te in regionem

magnam, et absque mensura, et ibi morieris: et ponet currum tuum optimum in ignominiam, et domum principis tui in conculcationem. Et aufereris a dispensatione tua, et de gradu tuo. Et erit in die illa, vocabo puerum meum Eliacim filium Helciae, et induam illum stola tua, et coronam tuam dabo illi fortiter, et dispensationem tuam dabo in manus ejus, et erit quasi pater habitatoribus Jerusalem, et Judae, et dabo gloriam domus David ei, et principabitur, et non erit qui contradicat. Et dabo clavem domus David super humerum ejus, et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat. Et constituam eum principem in loco fideli, et in solium gloriae domus patris ejus, et erit confidens super eum omnis gloriosus in domo patris sui a minimo usque ad maximum. Omnes vas parvulum a vasis aganoth: et pendebunt super eum. In die illa haec dicit Dominus Sabaoth: Movebitur homo qui stabilitus erat in loco fideli: et auferetur, et corruet, et disperibit gloria quae erat in eo: quoniam Dominus locutus est. Praecipitur Isaiae prophetae ut ingrediatur ad eum qui habitat in tabernaculo, quod Hebraice dicitur SOCHEN Sobnam praepositum templi, sive ut LXX transtulerunt, --- hoc est, quaestorem et dispensatorem thesaurorum domus Dei. Sochen autem vel tabernaculum interpretatur, vel pastophorion, hoc est thalamus, in quo habitat praepositus templi. Quis est autem alius, qui habitavit in tabernaculo Judaeorum, et in domo quondam Dei, nisi Judaicae legis sermo et ratio, quae in veteris Instrumenti lectione versata est? Huic itaque traditioni dicitur atque doctrinae: quid hic agis? Cur tibi vis aedificare domum in occidente littera, et tabernaculum tuum, quod non habet fundamentum, in petrae figere firmitate: quod non tam tabernaculum, et domus, quam sepulcrum et memoria appellandum est? Propterea autem tibi dico, quod in excisione sepulcri non debeas laborare, quia transferet Dominus sacerdotium tuum; sicut transferri solet GEBER, quod omnes virum interpretati sunt. Hebraeus autem qui nos in veteris Instrumenti lectione erudivit, gallum

gallinaceum transtulit. Sicut, inquit, gallus gallinaceus humero portitoris de alio loco transfertur ad alium, sic te Dominus de loco tuo leviter asportabit. Et qui quondam habebas coronam pontificis, et sanctificationem in auri lamina, in qua erat scriptum nomen Dei (Exod. XXVIII), coronaberis tribulatione et angustia. Et quomodo si sphaera mittatur in declivi loco atque spatioso, stare non potest, sed in immensum volvitur: sic omnis populus tuus in orbis terminos dispergetur. Ibique morieris cum littera tua, et omnis gloria tua, et currus quibus inclytus antea ferebaris; et domus Dei splendor vertetur in ignominiam. Auferet enim te Dominus de statione tua, et de ministerio tuo, hoc est, caeremoniis victimarum, ut impleatur illud quod scribitur ad Hebraeos: Translato enim sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat (Hebr. VII, 12). Cum autem tu ejectus fueris de ministerio tuo, vocabo puerum meum Eliacim, cui dixi et in alio loco: Magnum tibi est vocari te puerum meum (Isa. XLIX, 6, secundum LXX). Eliacim interpretatur resurgens Deus, sive Dei resurrectio. Iste igitur resurgens Deus, qui est filius Helciae, id est, partis Domini, accipiet locum tuum, tuaque induetur stola, et cingulo tuo confortabitur, ut quod tu habebas in littera, ille possideat in spiritu, et erit pater habitantium in Jerusalem, hoc est, in visione pacis, quae interpretatur Ecclesia, et domui Juda, ubi est fidei vera confessio. Unde ipse ad Apostolos loquitur: Filioli, adhuc modicum vobiscum sum (Joan. XIII, 33). Et ad alium: Fili, dimittuntur tibi peccata tua (Matth. IX, 2). Et ad aliam: Filia, fides tua te salvam fecit (Luc. VII, 50). Dabo, inquit, ei clavem domus David, qui aperit, et nemo claudit; qui claudit, et nemo aperit (Apoc. III). Et haec ipsa clavis erit super humerum ejus, hoc est, in passione, juxta illud quod in alio loco scribitur: Cujus principatus super humerum ejus (Isa. IX, 6). Quod enim ille sua passione reseraverit, claudi non poterit; et quod clauserit in caeremoniis Judaeorum, a nullo alio aperietur. Figam enim illum paxillum in loco fideli, ubi conventus Fidelium est. Unde et credentes in Christo fideles appellantur. Et erit in solium

gloriae domus patris sui, hoc est Ecclesiae: et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus. Unde et in Evangelio scribitur: Omnis populus pendebat ex eo (Luc. XIX). Quod et quidem non illo tantum tempore factum est, sed usque hodie impletur, ut pendeant ex eo quasi vasa diversa Dei, sapientia et justitia, et omnia quibus Christus apellatur. Vasorum diversa genera, pro quibus Aquila interpretatus est SASAIM et SEPHOTH, quod Symmachus vertit, nepotes atque commixtos: ut et Apostoli, et omnes credentes, hoc est filii filiorum, et commixti de universis gentibus pendeant super eum. A vasis craterarum, pro quibus Theodotio AGANOTH posuit, et parvi enim et magni in Dominum credituri sunt. Crateras autem puto esse Apostolos plenos vitalibus aquis. De quibus dicitur: Benedicite Deum de fontibus Israel (Ps. LXVII, 27), in quibus crateribus miscuit sapientia vinum suum. Et omne, inquit, vas musicorum, eorum qui omni tempore in Dei laudes personant. Quod sequitur, videtur sensui nostro esse contrarium, quomodo paxillus iste, qui fixus fuerat in loco fideli, auferatur et frangatur: et cadat et pereat quod pependerat in eo, et hoc fiat quia Dominus locutus est. Quod ita solvi potest si legamus illud Evangelii, quod in novissimis diebus refrigescat charitas multorum (Matth. XXIV); et ipse Dominus dicat: Putas filius hominis veniens inveniet fidem super terram (Luc. XVIII, 8)? Non ergo paxillus frangetur et cadet et peribit, quod impium est dicere: sed paxillus auferetur de loco fideli, hoc est, de Ecclesia per impietatem quotidie subcrescentem, et qui super eum ante pependerant fide, postea infidelitate frangentur et cadent et peribunt. Hoc autem fiet in diebus novissimis, quia Dominus locutus est. Pro paxillo, qui Hebraice dicitur JATHED, et ab omnibus similiter effertur, soli LXX supra principem, hic hominem interpretati sunt. Quodque nos celeritate dictandi pene praeteriit, Sobnas interpretatur convertere nunc, sive conversio. Dicitur ergo ad principem Judaeorum ut convertatur de Lege ad Evangelium: et victimarum imaginibus derelictis, transferat se ad spiritualis sacrificii veritatem.

## (Cap. XXIII.---Vers. 1.)

Onus Tyri.

Quid nobis videretur super onere vel verbo et assumptione Tyri juxta Hebraeos, supra in libro decem Visionum historicae explanationis diximus. Nunc omnem contra Tyrum prophetiam secundum „anagogen", et editionem LXX breviter percurremus. Tyrus lingua Hebraea SOR dicitur, et in nostrum sermonem transfertur, angustia. Omnis igitur anima vitiis occupata, et pravis cogitationibus, sor appellari potest.

Ululate naves Carthaginis, quia perierunt, et ultra non venient. De terra Citiorum, ducta captiva est. Cui similes facti sunt habitatores insulae, negotiatores Phoenicis, transfretantes mare in aquis multis, semen negotiatorum quasi messium illatarum, negotiatores gentium. Pro Carthagine in Hebraeo scribitur THARSIS quod omnes similiter transtulerunt. Tharsis autem interpretatur contemplatio sive exploratio gaudii. Citii quoque quod Hebraice dicitur CHETIM, interpretatur mare congelascens: et pro Phoenice apud eos Sidon legitur. Arguuntur itaque hi quos malarum cogitationum turba circumdat, et qui volentes juxta Apostolum divites fieri, incidunt in tentationes et laqueos diaboli, et desideria multa et noxia, quae detrahunt homines in profundum (I. Tim. VI). Et dicitur eis quod ululare debeant, scientes omnes negotiationes mundi hujus esse perituras, et contemplationem gaudii atque laetitiae in luctum lacrymasque vertendam. Mare enim hoc ultra non poterit navigari; sed omnia congelascent: et coloniae Tyriorum captivae ducentur in poenas. Nulli enim alii similes sunt qui habitant in insula ista, nisi negotiatoribus, sive translatoribus qui circumferuntur omni vento doctrinae, et de aliis ad alia vitia transeunt. Habitamus autem in insula, quamdiu tentationibus hujus saeculi tundimur: et

ex omni parte nostra insula atque navicula maris feritur fluctibus. Hujus autem insulae negotiatores de Sidone sunt, quae interpretatur venatrix, et in qua habitant plurimi venatores. De quibus scriptum est; Liberabit te de laqueo venantium (Ps. XC, 3). Et in alio loco laetatur sanctus, quod de eorum insidiis liberatus sit dicens: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium (Ps. CXXIII, 7). Omnes autem negotiatores gentium segetibus comparantur, quae cito arescunt, sive messibus fluminis quae de coelo non habent pluviam, sed de terra: ideoque cum gentibus periturae sunt. Ubi nos legimus, semen negotiatorum, in Hebraeo scriptum est, semen sior, quod subauditur Nili, eo quod aquas turbidas habeat quibus Aegypti segetes irrigantur.

## (Vers. 4-5.)

Erubesce, Sidon, dixit mare; fortitudo autem maris ait, Non parturivi, neque peperi, neque enutrivi juvenes, neque exaltavi virgines. Cum autem auditum fuerit in Aegypto, apprehendet eos dolor super Tyro.

Saeculi hujus mare, in quo habitant animalia parva cum magnis, et draco quem plasmavit Deus ad illudendum ei, videns a venatoribus Christi, qui de omni monte venantur et colle, captos, qui prius a daemonibus capti fuerant, loquitur ad contrariam fortitudinem venatorum, quae interpretatur Sidon, et dicit ei: Erubesce, Sidon; non enim parturivi, neque peperi, nec captos a te nutrivi juvenes, nec elevavi virgines quarum stultitia in Evangelio condemnatur (Matth. XXV). Mea enim parturitio, et partus, et nutrimentum, et elevatio virginum, Apostolorum Christi parturitione deleta est; quorum unus loquebatur: Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis (Gal. IV, 19). Et: Lac vobis potum dedi, non escam (I Cor. III, 2). Et rursum: Volo autem vos omnes virginem castam exhibere Christo (II Cor. XI). Cum hoc Aegyptus audierit, quae Hebraice

dicitur MESRAIM, quod interpretatur ἐκθλίβου, id est, tribulans, et coarctans, etiam ipsa terrebitur, se quoque intelligens eadem quae Tyrus passa est, esse passuram. Quod cum ad omnia vitia referatur, potest et in haereseon diversitate sentiri, quando alia capta haeresi, alia pertremiscit, et in alterius confusione, alter se capiendum esse sentit. Quomodo autem de Sodomis dicitur: Quoniam si facta fuissent signa in eis quae facta sunt in Capharnaum, mansissent usque hodie; et infertur: Verumtamen Sodomis tolerabilius erit in die judicii quam vobis: sic de Tyro et Sidone discimus Salvatore dicente: Verumtamen Tyro, et Sidoni levius erit in die judicii quam civitati illi (Matth. XI, 21 seqq.). Unde et Chananaea quae ad precationem Christi, filiam, id est, animam suam gravissimo daemonio vexari intelligebat, exisse dicitur de finibus Tyri et Sidonis. Neque enim poterat aliter occurrere Salvatori, nisi Tyri et Sidonis terminos reliquisset.

## (Vers. 6, 7.)

Ite Carthaginem: ululate qui habitatis in insula hac. Nonne haec est contumelia vestra a principio antequam traderetur? deducent eam pedes ejus longe ad peregrinandum.

Quod sequitur: Deducent eam pedes ejus longe ad peregrinandum, de Hebraico additum est, et asterisco, id est, stellis illuminantibus praenotatur. O Tyrii qui habitatis in angustia et in insula commoramini, qui ex omni parte expositi estis tentationum fluctibus, recedite de ea, et ite ad Carthaginem, id est, Tharsis, atque ad verum gaudium festinate, lugentes antiqua peccata, et veterem contumeliam, quam aut ipsi aliis inferebatis, aut patiebamini ab illis. Hoc autem ideo praecipio, quia Tyrum urbem vestram de suis sedibus et proposito cernitis ad terminos alios migraturam, quando veteri errore deposito, Evangelio Salvatoris colla submiserint, ut qui

bprius habitabant in angustia, recedant longius, et advenae sint atque incolae doctrinae Domini Salvatoris

## (Vers. 8, 9.)

Quis cogitavit haec super Tyrum? Numquid minor est, aut non praevalet? Negotiatores ejus principes Chanaan, inclyti terrae. Dominus Sabaoth cogitavit dissolvere omnem contumeliam gloriantium, et dehonestare omne quod inclytum est super terram.

Verbum Chanaan, de Theodotionis editione additum est, pro quo Aquila, negotiatores transtulit. Interrogat ergo Spiritus sanctus, immo interrogatione confirmat, quod Dominus haec adversum Tyri principes cogitarit, quorum omnis industria est negotiationibus opes quaerere. Et quomodo in Evangelio legimus institores margaritarum (Matth. XIII), qui omnibus venditis unam cupiunt emere margaritam, et utique appellandi sunt inclyti negotiatores non terrae, sed coeli: sic econtra negotiatores Tyri, hoc est, tribulationis et angustiae, appellandi sunt inclyti terrae, quia quidquid agunt, terram respicit: et principes Chanaan, quod interpretatur fluctuantes atque commoti. Non enim statuunt supra petram pedes suos, nec potest de eis dici: Petra refugium herinaciis (Psal. XXXIX; CIII, 18), sive leporibus; sed illud potius quod justus pene passus est, sustinent: Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei (Ps. LXXII, 2). Dominus ergo exercituum hoc consilium cogitavit, ut dissolveret pessima negotiatorum vincula, immo compactam injuriam dissiparet, per quam cuncti qui Tyro subditi sunt superbiunt. Quodque intulit, et dehonestare omne quod gloriosum est super terram, non Dominus dehonestamenti auctor est, sed quod per se ignominiae patet, ostendit esse ignominiosum. Quod quidem et de Sacerdotibus in Levitico legimus: Contaminatione contaminavit eum (Levit. XXI), haud dubium quin sacerdos: non quo contaminationis auctor sit,

sed quo ostendat eum contaminatum, qui prius mundus plurimis videbatur.

## (Vers. 10, 11.)

Operare terram tuam: etenim naves nequaquam veniunt de Carthagine, et manus tua nequaquam praevalet, quae in mari provocat reges.

Multum a caeteris interpretibus, et ab ipso Hebraico in hoc loco LXX discordat editio, sed propositum prosequamur. Supra dixerat: Ite Carthaginem, ululate qui habitatis in insula. Nunc contrarium loquitur, quia naves de Carthagine ultra non veniunt, operare terram tuam. Profuit enim Tyro naves interire peregrinas, ut cogatur operari terram suam. De qua in Proverbiis dicitur: Qui operatur terram suam, saturabitur panibus (Prov. XXI, 11), ut nequaquam de incerto fluctuum naufragorumque discrimine, sed operis sui vivat frugibus. De quibus in psalmis ad justum canitur: Labores manuum tuarum manducabis (Ps. CXXVII, 2). Scriptum est in Osee, meretricis vias septas esse a Domino spinis, ne sequi possit amatores suos, ut hac necessitate compulsa, reverteretur ad virum suum pristinum. Quod et in saeculi rebus frequenter animadvertimus, multos qui per prospera et abundantiam omnium rerum Dominum sentire non poterant, intelligere per inopiam, et converti ad opera justitiae, postquam manus eorum non praevaluerit felicitate hujus saeculi perfrui, quae prius in mari provocabat reges, sive juxta Symmachum conturbabat; quorum cor in manu Dei est. Atque utinam et nos maris hujus negotiatione contempta, operemur terram nostram, et nequaquam exspectemus naves Carthaginis, sive naves Tyri, quae Carthaginem ire consueverant, ne subjiciamur potestati draconis, qui dominatur in mari! Sed stabilem gradum figamus in terram, immo ad coelestia festinantes, operemur terram nostram, ut hic seminantes, ibi metamus. Manus quoque nostra, quae prius in mundi

negotiis versabatur, et pro potentia ac felicitate etiam reges, id est, sanctos de statu suo poterat commovere, fiat imbecilla in rebus maris, ut fortis sit in opere terrae suae.

## (Vers. 12.)

Dominus Sabaoth praecepit de Chanaan perdere robur ejus, et dicent: nequaquam adjicietis injuriam facere et iniquitatem virgini filiae Sidonis.

Tyrum et Sidonem esse in terra Chanaan, et supra ostendimus, Evangelii testimonium proponentes, in quo legitur, Chananaeam mulierem sive Syrophoenissam exisse de finibus Tyri et Sidonis, et occurrisse Domino Salvatori. Omnis autem anima quae in saeculi fluctibus posita est, et circumfertur omni vento doctrinae, Chanaan appellanda est, quae interpretatur quasi fluctuatio, sive commotio. Unde, et ad senem adulterum dicitur: Semen Chanaan et non Juda, species decepit te (Dan. XIII). Prodest igitur Tyro et ejus angustiis robur perire Chananaeum, ut dicatur habitatoribus ejus quod ultra non valeant injurias facere, et opprimere per iniquitatem virginem filiam Sidonis. Quicumque a diabolo capitur in diversorum perturbatione vitiorum, et traditur in contumelias ignominiae, ut polluat corpus voluptatibus, et turpitudine, iste filius vel filia est Sidonis: Et hoc sciendum quod sabaoth in Hebraico non habetur, et econtrario virgo de Hebraico addita sit.

## (Vers. 13.)

Si ieris in Citios, neque ibi erit requies tibi; et si ad terram Chaldaeorum, et ipsa vastata est ab Assyriis. Fundavit eam Siim, statuerunt propugnacula ejus, suscitaverunt turrem ejus: paries ejus cecidit.

Quodque sequitur de Theodotionis editione, sub asteriscis additum est: Fundavit eam Siim, statuerunt propugnacula ejus: suscitaverunt turrem ejus, et absque asteriscis jungitur: paries ejus cecidit. Citii interpretantur plaga consummata sive perfecta: Chaldaei in hoc loco, quasi ubera: Assyrii, arguentes. Siim etymologiam nec nos potuimus invenire, et caeteri interpretes ipso quo apud Hebraeos scribitur nomine transtulerunt. Dicitur ergo ad Tyrum, quod licet ad Citios ire contendat, et angustiarum suarum plagam vitare, perfectam etiam ibi requiem invenire non valeat. Rursumque si cupiat ire ad Chaldaeos, et ubertate eorum ac rerum omnium abundantia perfrui, etiam illos inveniat desolatos, arguentibus Assyriis eorum sterilitatem, juxta quod et Apostolus tradidit peccatores Satanae (I Tim. I), ut discant non blasphemare: qui traduntur in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat. Chaldaeorum autem Siim fundamenta jecerunt, quos intelligo daemones pessimos, qui et propugnacula et turres superbissimas urbis Chaldaeae contra scientiam Domini suscitaverunt. Sed omnis eorum aedificatio in ruinas concidit; sequitur enim, paries ejus cecidit. Nisi enim Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam (Ps. CXXVI, 1). Saepe videmus in saeculo quosdam de alio proposito transire ad aliud. Verbi gratia, ut qui militiam male experti sunt, transeant ad negotiationem. Rursumque causidicos bellatorum arma corripere. Mutant industriam, ut mutent infelicitatem; et nihilominus dispensatione Dei his quos salvare dignatur, omnia nitentibus evenire contraria: ut per inopiam ac miserias cogantur non in se, sed in Creatore suo habere fiduciam.

## (Vers. 14.)

Ululate naves Carthaginis: quoniam periit fortitudo vestra.

Naves Carthaginis, id est Tharsis jubentur ululare: nequaquam enim, ut supra, perierunt, sive non venient; sed periit fortitudo earum. Tharsis enim secundum aliam interpretationem in linguam nostram vertitur consummatio sex, sive laetitiae. In sex autem diebus mundum istum factum legimus, qui juxta traditiones ecclesiasticas postea consummabitur. Omnia ergo bona saeculi hujus, et universus mortalium labor, incerto navium cursui comparatur, quod cito peritura sint, et cuncta navigantium fortitudo solvatur. Unde et in Salomone scriptum est: Civitates firmas ascendit sapiens: et destruxit munitiones earum (Prov. XXI, 22). Quidquid enim haereticorum et sapientiae saecularis, contrariorumque dogmatum arte componitur, vir ecclesiasticus destruit, et suis docet pedibus esse subjectum.

## (Vers. 15 et seqq.)

Et erit in die illa, derelinquetur Tyrus septuaginta annis, sicut tempus regis unius; sicut tempus hominis. Et post septuaginta annos erit Tyrus quasi canticum meretricis. Sume citharam, vagare, civitas meretrix, oblivioni tradita. Bene cithariza, plurimum canta, ut sit tui memoria. Post septuaginta autem annos, visitationem faciet Deus Tyri: et iterum restituetur in antiquum; eritque negotiatio ejus omnibus regnis orbis terrarum super faciem terrae. Et erit negotiatio ejus, et merces sancta Domino; sed non ipsis congregabitur, sed his qui habitant coram Domino. Omnis negotiatio ejus comedere et bibere et impleri in collationem, memoriale coram Domino.

Hoc quod dicitur: memoriale coram Domino: et super faciem terrae, et sicut tempus hominis, in Hebraico non habetur, sed in Graeco additum est. Septuaginta autem annis Tyrus quondam coangustata dimittitur, ut expleto solitudinis tempore, carmen quondam meretricium vertat in laudes Dei, assumensque citharam omnes chordas

habeat concinentes: ut postquam bene concinuerit et multa cantaverit, fiat ejus apud Deum memoria, quae propter fornicationem oblivioni tradita erat: et restituatur in pristinum statum, habeatque divitias regnorum totius orbis, et mercedes laboris illius nequaquam Tyriis congregentur; sed his qui habitant in conspectu Domini, comedantque et bibant, et impleantur omnibus bonis quae in convivii laetitiam cunctorum fuerint labore collata. Sidonem ac Tyrum sermo divinus ad poenitentiam cohortatur, et labores ejus atque mercedes Domino sanctificandas esse promittit. Quis non peccatorum spem salutis habeat, si tamen bene cecinerit, et universae chordae virtutum, quae quondam fuerant relaxatae, in laudes Domini componantur? Legimus in quadragesimo quarto psalmo, qui specialiter ad conjunctionem sponsi et sponsae, id est, ad Deum Salvatorem et Ecclesiae pertinet sacramenta, dici inter caetera: Filiae Tyri in muneribus, faciem tuam precabuntur divites plebis (Ps. XLIV, 13). Et ipse rursum sponsus ad sponsam Tyriam loquitur: Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam; et obliviscere populi tui, et domum patris tui, quia concupiscet rex decorem tuum (Ibid. 11, 12). Unde et in descriptione pulchritudinis ejus infertur: Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate (Ibid., 10). Et iterum: Omnis gloria filiae regis intrinsecus (Ibid., 14). Si autem concupivit rex pulchritudinem Tyriae poenitentis, et variarum habentis ornamenta virtutum, quanto magis merces ejus et negotiatio, non in Tyro permanentium, sed eorum erit qui habitant in conspectu Domini! Qui postquam egerint poenitentiam, audient a Domino Salvatore: Comedite, amici mei, et bibite, et inebriamini, charissimi (Cant. V, 1). Quid sit autem comedere et bibere, et saturari omnium collatione virtutum, fidelis lector intelligit. Septuaginta annis desolatum fuisse templum, et Jeremias (Cap. XXIX) et Daniel (Cap. IX) et Zacharias (Cap. VII) docent. Et in Ezechiele (Cap. XVI) de Sodoma legimus, quod restituatur in antiquum, et de Aegypto, quod post desolationem

terrae Aegypti et ariditatem septem fluminum, veterem recipiat ubertatem. Septenarius autem et septuagesimus numerus, qui vel de singulis diebus, vel de septem conficitur decadibus, perfectam significat et consummatam poenitentiam: ut juste Tyrus, expleto poenitentiae tempore, in antiquum redeat statum. De hac arbitror meretrice et illud in Proverbiis Salomonis mystico sermone signari: Ne attendas pessimam mulierem; mel enim distillat de labiis mulieris meretricis, quae ad breve impinguat fauces tuas, et postea amarius felle reperies (Prov. V, 2-4). Per fenestram enim domus suae in plateas prospicit (Matth. VII): quia lata est et spatiosa via quae ducit ad mortem, et quemcumque insipientem viderit juvenem, sapientes quippe tentare non audet, et transire juxta angulos, qui rectam lineam perdiderunt: loquitur ei in tenebris et in caligine, et sub specie voluptatum quasi victimam ducit ad mortem. Haec si conversa fuerit, et bene cecinerit, et perfectae poenitentiae annorum tempus impleverit, comedet et bibet, et saturabitur. Audiat Novatianus, et taceat.

## LIBER OCTAVUS.

Sextus et septimus superiores libri allegoriam quinti voluminis continent, quod olim historica explanatione dictavi. Praesens opus, id est, octavus liber, ad coeptam interpretationem revertitur, ut et historiam et tropologiam juxta utramque editionem pariter disserat. Quae si longa tibi videbitur, o virgo Christi Eustochium, non mihi imputes, sed Scripturae sanctae difficultati, praecipueque Isaiae prophetae, qui tantis obscuritatibus involutus est, ut prae magnitudine rei, brevem explanationem putem, quae per se longa est. Certe nos studiosis scribimus, et sanctam Scripturam scire cupientibus, non fastidiosis, et ad singula nauseantibus. Qui si flumen eloquentiae, et concinnas declamationes desiderant, legant Tullium, Quintilianum, Gallionem, Gabinianum, et ud ad nostros veniam, Tertullianum,

Cyprianum, Minutium, Arnobium, Lactantium, Hilarium. Nobis propositum est Isaiam per nos intelligi, et nequaquam sub Isaiae occasione nostra verba laudari.

## (Cap. XXIV.---Vers. 1 et seqq.)

Ecce Dominus dissipabit terram, et nudabit eam, et affliget faciem ejus, et disperget habitatores ejus: et erit sicut populus, sic sacerdos: et sicut servus, sic Dominus ejus: sicut ancilla, sic domina ejus: sicut emens, sic ille qui vendit: sicut fenerator, sic is qui mutuum accipit: sicut qui repetit, sic qui debet: dissipatione dissipabitur terra, et direptione praedabitur: Dominus enim locutus est verbum hoc.

Post specialem singularum gentium correptionem, Judaeae, Babylonis, Philistiim, Moab, Damasci, Israel, Aegypti, deserti maris, Idumaeae et Arabiae, vallis visionis, et ad extremum Tyri: in quarum explanatione quae potuimus diximus: nunc quid totus orbis in consummatione passurus sit, propheticus sermo describit, et nequaquam de singulis gentibus, sed de cunctis pariter prophetatur. Et primum quidem quae impii tormenta passuri sint: et quomodo juxta Evangelium et Apostolum, pertranseat coelum et terra, et figura mundi istius (Matth. XXIV; I Cor. VII), et deducantur peccatores in infernum (Ps. XXX), de quibus scriptum est: Ingredientur ad extrema terrae, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt (Ps. LXII, 10). Deinde quia pro qualitate meritorum multae sunt mansiones apud patrem, dicitur quomodo sancti rapiantur in nubibus obviam Domino in aera, et semper cum eo futuri sint (Joan. XIV; I Thess. IV). Pro dissipata terra, septuaginta corruptum orbem interpretati sunt: et pro afflicta facie illius, id est, terrae, iidem transtulerunt, et revelabit faciem ejus; ut procedant mortui de sepulcris suis: sive nudabit eam, ut omnia opera ejus proferantur in publicum, et dispergantur habitatores ejus in diversa loca, praemiis vel suppliciis

destinati. Tunc nulla erit diversitas inter nobilem et ignobilem, sacerdotem et laicum, servum et dominum, ancillam et dominam, divitem et pauperem, feneratorem et eum qui aere alieno premitur, ementem atque vendentem. Omnes enim ex aequo stabunt ante tribunal Christi, nec erit acceptio personarum apud Deum (Rom. XIV; Coloss. III). De quo et Job eisdem propemodum verbis loquitur: Parvus et magnus ibi sunt, et servus non timens Dominum suum (Job. III, 19). Et Salvator in Evangelio, cui omne judicium traditum est, pleno sermone testatur. Dissipabitur ergo terra, et omnia terrena opera redigentur ad nihilum, ut abolita imagine χοϊκοῦ, permaneat imago supercoelestis. Primus enim homo de terra terrenus, et secundus de coelo coelestis: qualis terrenus, tales et terreni; et qualis supercoelestis, tales et supercoelestes: ut sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem supercoelestis (I Cor. XV, 47-49). Unde idem Apostolus loquitur: Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt (Ibid., 50). Non quod secundum haereticos dispereat natura corporum, sed quod corruptivum hoc induat incorruptionem, et mortale hoc induat immortalitatem. Et haec omnia fient: quia quod futurum est, per prophetas Dominus locutus est.

## (Vers. 4, 5.)

Luxit et defluxit terra, et infirmata est: defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terrae, et terra interfecta est ab habitatoribus suis.

LXX: Luxit terra, corruptus est orbis, luxerunt excelsi terrae, terra autem egit impie propter habitatores suos. Deus superbis resistit, et humilibus dat gratiam (Jacob IV, 6). Unde prima sententia est contra eos, qui excelsi sunt terrae, ut infirmentur universa quae nunc fortia sunt propter eos qui sanguinem sanguini miscuerunt, et in morem sanguinis Abel, interfectorum cruorem ad Deum clamare fecerunt (Genes. IV).

## (Vers. 6.)

Quia transgressi legem sunt, mutaverunt jus, dissipaverunt foedus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram, et peccabunt habitatores ejus: ideo insanient cultores ejus, et relinquentur homines pauci.

LXX: Quia praevaricati sunt legem, mutaverunt praecepta, testamentum aeternum. Propter hoc maledictio vorabit terram, quia peccaverunt habitatores ejus: ideo pauperes erunt habitatores terrae, et dimittentur homines pauci. Audiant Judaei, qui se solos legem accepisse Domini gloriantur, quod universae primum gentes totusque orbis naturalem acceperit legem, et idcirco postea lex data sit per S. Moysen, quia prima lex dissipata est. De qua Apostolus loquitur: Cum enim gentes, quae non habent legem, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, isti legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis (Rom. II, 14). Qui igitur has leges observaverint, praemia consequentur: qui autem neglexerint eas, sustinebunt quae nunc sermo propheticus comminatur. Et quomodo in principio benedixit Deus omni creaturae quam fecerat (Genes. I): sic in consummatione mundi maledicet his qui terreni sunt, et non fuerint peregrini, sed habitatores terrae, et in ea peccaverint; qui obliti conditionis suae, contra se mutuo furore bacchati sunt. Et pauci remanebunt qui habeant imaginem supercoelestem: sive, juxta LXX, pauperes erunt habitatores terrae, quia spirituales divitias perdiderunt.

## (Vers. 7 seqq.)

Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui laetabantur corde. Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus laetantium, conticuit dulcedo citharae, cum cantico non bibent vinum, amara erit potio

bibentibus illam. Attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte. Clamor erit super vino in plateis, deserta est omnis laetitia, translatum est gaudium terrae. Et relicta est in urbe solitudo, et calamitas opprimet portas: quia haec erunt in medio terrae, in medio populorum.

In consummatione mundi, praeteritarum deliciarum recordatio erit materia cruciatuum. Unde et dives ille in convivio purpuratus, qui receperat bona sua in vita sua, elevans oculos suos de inferno, Lazarum cernit in requie (Luc. XVI). Et Dominus increpans divites et luxuriosos atque ridentes, loquitur in Evangelio: Vae vobis divitibus, quoniam recepistis consolationem vestram. Vae vobis qui nunc saturati estis, quoniam esurietis. Vae vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis et flebitis (Ibid., 24, 25). Quando igitur fuerit resurrectio mortuorum, et judicii advenerit dies, tunc lugebit vinum atque vindemia, de qua Moyses loquitur: De vinea Sodomorum vinea eorum, propago eorum de Gomorrha. Uva eorum uva fellis, botrus amaritudinis eorum. Furor draconum vinum eorum, et furor aspidum insanabilis (Deut. XXXII, 33). Tunc omnis potio, sive ut Hebraice dicitur, sicera, id est, ebrietas, quae statum mentis evertit, et homines vigilare non patitur, amaritudine commutabitur, quae ad tempus utentibus se mella mentitur, et in novissimo amarior felle reperietur. Tunc omnis dulcedo laetantium et tympanorum ac citharae sonitus in planctum vertetur ac gemitum. Ingeramus hoc testimonium his qui in conviviis non solum gula et ebrietate, sed et auribus luxuriant, ut per omnes sensus animae fortitudo mollescat. Atteretur civitas vanitatis, sive omnis civitas, vel spiritualis Babylon, quae sedet in septem montibus purpurata, cujus supplicia in Apocalypsi Joannis legimus (Apoc. XVIII). Pulchreque dixit urbem vanitatis. Si enim de coelo et terra, et de omnibus quae terrena sunt dicitur: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas (Eccl. I, 2); quanto magis hoc de una urbe dicendum est, quae totius orbis pars modica est! Tunc

domus quarum nunc sunt aurata laquearia, et pauperibus absque tecto et tugurio frigore morientibus, parietes earum vestiuntur marmorum crustis, et secti eboris nitore resplendent, remanebunt vacuae. Clamor erit in plateis super vino, non in arcta et angusta via quae ducit ad vitam: sed in lata et spatiosa, quae ducit ad mortem (Matth. VII). Super vino et ebrietate erroris eorum, qui dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis (Ps. LXXV). Translatum est quippe in coelos gaudium terrae, et relicta est in urbe quondam celeberrima solitudo, et portas viarum frequentium per quas populorum influebant agmina, opprimet habitatorum calamitas. Et ut sciremus perspicue de totius orbis interitu nuntiari, intulit, Haec erunt in medio terrae: in medio gentium sive populorum.

## (Vers. 13-15.)

Quomodo si paucae olivae, quae remanserunt, excutiantur ex olea, et racemi cum fuerit finita vindemia. Hi levabunt vocem suam atque laudabunt, cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari: propter hoc in doctrinis glorificate Dominum: in insulis maris nomen Domini Dei Israel.

Quantum ab Hebraica veritate in hoc loco LXX distet translatio, sequentia verba monstrabunt. LXX: Quomodo si quis excutiat olivam, sic excutient eos: et si quiescat vindemia, isti clamore vociferabuntur. Qui autem relicti fuerint super terram, laetabuntur simul cum gloria Domini, conturbabitur aqua maris, propterea gloria Domini in insulis erit maris, nomen Domini gloriosum erit, Domini Dei Israel. Relictis hominibus paucis, quando maledictio voraverit terram, et in urbe fuerit solitudo, et haec universa contigerint in medio terrae, in medio populorum et gentium, tanta erit sanctorum paucitas, de quibus Dominus loquitur in Evangelio: Multi vocati, et pauci electi (Mat. XX, 16): et tam vehemens pressura

justorum, ut tententur, si fieri potest, etiam electi Dei: et paucitas eorum baccis olivarum rarissimis comparetur, quae cum excussae fuerint atque demessae, vix paucae remanent in ramorum cacumine; et quomodo cum fuerit finita vindemia, solent pauperes, egestate cogente, vacuas circuire vites, et pauca uvarum grana colligere. Hi igitur qui remanserint, et post vindemiam mundi atque pressuram, manus quiverint Antichristi persequentis effugere, sive poenae imminentis ardores, levabunt voces suas in sublime, Deumque laudabunt. Quando venerit Dominus in gloria Patris sui, cum Angelis sanctis, et eum viderint in majestate regnantem, tunc hinnient in equorum similitudinem, laetitiae magnitudine gestientes, et hinnient de mari hujus saeculi. Propterea qui nunc in Scripturis sanctis eruditi estis, et scitis vobis tantum gaudium tantaque praemia reservari, in doctrinis glorificate Dominum, audientes illud quod scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur (II Cor. X, 17). Nequaquam in terra Judaeae, sed in insulis, id est, in Ecclesiis hujus maris et saeculi, in quibus benedicitur atque laudatur nomen Domini Dei quondam Israel, sive, hominis videntis Deum. Juxta LXX, omnia quae de sanctis intelleximus, referri possunt ad impios, quod cum fuerit finita vindemia, tunc illi clament in suppliciis constituti. Qui autem evaserint impiorum numerum laetentur in gloria Domini, et conturbentur aquae populorum hujus saeculi.

## (Vers. 16.)

A finibus terrae laudes audivimus, gloriam Justi, et dixi: Secretum meum mihi, secretum meum mihi: vae mihi.

LXX: Ab aliis terrae portenta audivimus: spes justo, et dicent + mysterium meum mihi **. Hoc quod dicitur mysterium meum mihi, in LXX non habetur, sed de Theodotionis translatione in Graeco additum est. Rursum pro eo quod illi posuerunt vae, ut sequenti versiculo

jungeretur, in Hebraico dicitur OI LI, quod proprie sonat, vae mihi. Pro finibus quoque quod nos propter explanationem sensus apertius posuimus, in Hebraico habetur MECCHENAPH, quod alam, non finem, sonat. Hi ergo, de quibus supra dictum est: Levabunt vocem suam atque laudabunt, cum hinnierint de mari, et in doctrinis glorificaverint Dominum, et viderint in insulis maris laudari nomen Domini Dei Israel, tunc consona voce cantabunt, et dicent: Ab aliis terrae, hoc est, a prophetis et a sanctis Domini, qui assumptis alis columbae, ad coelorum regna festinant, laudes ejus audivimus praedicari: et quod gloria vel spes Justi non sit irrita, sed rebus omnia compleantur. Dicentibus itaque haec sanctis, et hinnientibus de mari, et levantibus vocem suam atque laudantibus, Propheta sibimetipsi loquitur: Cum, inquit, haec audissem, et in subversionem orbis vaticinium Prophetarum explendum esse perspicerem, locutus sum mihi interno cordis affectu: Non possum cuncta narrare quae cerno. Haeret lingua faucibus meis, vox dolore concluditur. Vae mihi, quantus ordo poenarum ante oculos versatur meos! cerno praesentia quae futura sunt. Errant autem qui hoc putant ex persona Dei debere intelligi, rerum ordinem non sequentes. Mirorque quo sensu pro psalmis, et laudibus, quod in Hebraico legitur ZEMROTH, LXX portenta interpretati sunt, nisi forte signum est atque portentum, ut excluso populo Judaeorum, incredula prius gentium turba salvetur.

## (Vers. 17, 18.)

Praevaricantes praevaricati sunt, et praevaricatione transgressorum praevaricati sunt. Formido et fovea et laqueus super te, qui habitator es terrae; et erit, qui fugerit a voce formidinis cadet in foveam, et qui se explicuerit de fovea, tenebitur a laqueo.

LXX: Vae praevaricatoribus qui praevaricantur legem. Timor et fovea et laqueus super vos qui habitatis

terram. Et erit, qui fugerit timorem, cadet in foveam, et qui exierit de fovea, capietur laqueo. Haec est causa luctus et gemitus mei, propter quam secundo dixi, secretum meum mihi, secretum meum mihi: quia omnes praevaricati sunt legem Dei, et nequaquam Domini poena differtur, nec futura praedicitur, sed imminet, et habitatores terrae captos tenet. Cumque se putaverint fugisse, ex alio incident in aliud, et quocumque se verterint, impendentem iram Domini non evadent.

## (Vers. 19, 20.)

Quia cataractae de excelsis apertae sunt, et concutientur fundamenta terrae. Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra. Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis, et gravabit eam iniquitas sua, et corruet, et non adjiciet ut resurgat. Propterea formidinem, et laqueum et foveam Domini nullus evadet, quia cataractae de excelsis, sive ut LXX manifestius transtulerunt, fenestrae coeli apertae sunt, ut despiceret Dominus hominum universa peccata, quae prius, quia non puniebat, videbatur peccatoribus ignorare. Postquam autem apertis fenestris vidit cuncta opera mortalium, concussa sunt fundamenta terrae, juxta illud quod in alio loco de Dei intuitu scriptum est: Qui respicit terram, et faciet eam tremere (Ps. CIII, 32); tunc confringetur et conteretur, et commovebitur atque agitabitur terra in similitudinem ebrii: non quod ipsa terra redigatur in pulverem, et in nihili; sed quod universa terrena pertranseant, et succedat alia conversatio. Et quomodo ebrius nescit quid agat, sed hebescentibus ebrietate nervis, nec pes nec mens stat in suo officio: sic omnis terra, id est, omnes homines qui versantur in terra, malorum magnitudine atque poenarum ebrii erunt, et stupebunt ad cuncta quae cernent. Et sicut unius noctis tabernaculum atque tentorium transfertur de loco ad locum, et locus tentorii

pristini a viatore deseritur, ita ut nullum vestigium remaneat praeteritae mansionis: sic transibit figura hujus mundi, et erit terra deserta quae gravata est iniquitate sua, cujus pondus et gravissimum onus in Zacharia scribitur: Quae sedebat super talentum plumbi (Zac. V, 32). Et corruet, inquit, et non adjiciet ut resurgat. Non quod resurrectio negetur hominum, et omnium qui versabantur in terra, sed nequaquam erit terrena conversatio, et pristinae vitae status, cum ad hoc humana resurgant corpora, ut animae eisdem, quae prius deposuerant, corporibus vestiantur, et recipiant a Deo sive bona, sive mala, quae egerunt super terram.

## (Vers. 21 seqq.)

Et erit in die illa, visitabit Dominus super militiam coeli in excelso, et super reges terrae qui sunt super terram. Et congregabuntur in congregationem unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere, et post multos dies visitabuntur. Et erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion et in Jerusalem, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.

Pro eo quod nos interpretati sumus, et erubescet luna, et confundetur sol, Septuaginta transtulerunt, liquefieri laterem, et cadere murum: quae autem erroris causa sit, sequentia verba monstrabunt. Sol lingua Hebraica tribus generibus appellatur: SEMES HAMMA, quod interpretatur calor, et HERES quod ---, id est, testam vel ariditatem sonat. MAOR autem, quod Graece --- Latine dicitur luminare, soli lunaeque commune est. Rursum luna vocatur JAREE, quae Graece dicitur μήνη, eo quod triginta dierum circuitu mensem efficiat, et LABANA, id est, alba vel candida. In praesenti igitur loco pro LABANA, id est, luna, Septuaginta interpretati sunt laterem, qui Hebraice appellatur LEBENA, verbi ambiguitate decepti. Rursum pro HAMMA, id est, calore, per quem intelligitur, sol,

posuerunt murum, qui Hebraice dicitur HOMA. Est autem hic sensus totius capituli: Fenestrae coeli apertae sunt, ut prospiciente Domino terrena peccata, omnis figura terrenorum operum praeteriret, et corrueret, et nequaquam ultra in pristinum statum resurgeret. In die illa, hoc est, in die judicii visitabit Dominus super militiam, sive super ornatum coeli in excelsis, ut non solum terrena, sed et coelestia judicet. Quis sit autem ornatus coeli sive militia, S. Moyse scribente, discamus: Cave ne suspiciens coelum, et videns solem, et lunam, stellas et omnem ornatum coeli, decipiaris, et adores ea (Deut. IV, 19). Visitabit autem Dominus, secundum idioma Scripturarum, quasi aegrotantem militiam, et exercitum coeli, et ferro et cauteriis indigentem, secundum illud: Visitabo in virga peccata eorum, et in flagellis iniquitates eorum (Ps. LXXXVIII, 3). Nam et in sequentibus legimus: Inebriatus est gladius meus in coelo (Infra XXXIV, 5); Et in Job: Astra non sunt munda in conspectu ejus. Et: Adversum Angelos suos perversum quid reperit (Job. XXV, 5). Visitabit quoque super reges et principes terrae, rectores tenebrarum istarum, et spiritualia nequitiae in coelestibus. De quibus principibus diversis provinciis praesidentibus et in Daniele scriptum est: Exiit in occursum mihi princeps regni Persarum, et princeps regni Medorum, et princeps regni Graecorum (Dan. X). Hos igitur principes, qui suum non servaverunt gradum, congregabit Dominus in die judicii, quasi in uno fasce pariter colligatos, et mittet in lacum inferni, ut in illis quoque impleatur quod de impiis scriptum est: Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit (Ps. VII, 16). Et includentur in carcere, juxta illud quod ait Dominus: Ite in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et Angelis ejus (Matth. XXV, 41). Quod autem sequitur: Et post multos dies visitabuntur, videtur applaudere amicis meis, qui diabolo et daemonibus dant poenitentiam, quod multa post tempora a Domino visitentur. Sed considerent quod non dixerit aperte Scriptura divina: Visitabuntur a Domino, vel visitabuntur

ab Angelis, sed absolute, visitabuntur. Ex qua ambiguitate verbi et remedium potest intelligi, et correptio, quod postquam justi praemia receperint, illi in poenis perpetuis visitentur. Est tamen sciendum, quod judicium Dei humana non possit scire fragilitas, nec de poenarum magnitudine atque mensura ferre sententiam, quae Domini arbitrio derelicta est. Tunc erubescet luna, et confundetur sol, juxta illud quod Apostolus ait: Etenim creatura ipsa congemiscit et parturit (Rom. VIII, 22), cernens homines qui suo fruebantur lumine, nihil dignum Dei bonitate fecisse, qui solem suum oriri facit super justos et injustos (Matth. V). Quomodo si dispensator et villicus, veniente Domino, cernat familiam variis subjici cruciatibus, et nequaquam sua implesse praecepta. De hoc eodem loco plenius Salvator in Evangelio docet: Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum movebuntur, quando apparuerit signum Filii hominis in coelo, et planxerint se omnes tribus terrae, et viderint Filium hominis venientem cum nubibus coeli, in virtute et gloria multa (Matth. XXIV, 29, 30). Didicimus subversionem terrae, visitationem militiae coeli, congregationem regum et principum in unum fascem, et detrusionem in lacum, et custodiam carceris, et clausorum post longum tempus visitationem, ruborem lunae et confusionem solis. Post haec omnia regnabit Dominus exercituum in monte Sion et in Jerusalem coelesti, de qua et in Epistola scribitur ad Hebraeos: Et in conspectu senum suorum gloriabitur (Hebr. XII). Qualis senex fuit S. Abraham, qui mortuus est in senectute bona, et appositus est ad patres suos (Gen. XXV). Quales jubetur et S. Moyses presbyteros eligere, quos scit esse presbyteros (Num. XI): cani enim hominis sapientia ejus (Sap. IV, 8), qui imitantur vetustum dierum, cujus caesaries describitur candida, ut aetatis longitudo monstretur (Dan. VII, 9). Potest hoc et de ecclesiastico gradu intelligi, si tamen non destruant operibus dignitatem.

## (Cap. XXV.---Vers. 1 seqq.)

Domine, Deus meus es tu: exaltabo te, confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles: amen. Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum: ut non sit civitas, et in sempiternum non aedificetur. Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te. Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine, umbraculum ab aestu: spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem. Sicut aestus in siti, tumultum alienorum humiliabis: et quasi calore sub nube torrente, propaginem fortium marcescere facies.

LXX: Domine Deus meus, glorificabo te: laudabo nomen tuum, quoniam fecisti admirabiles res, consilium antiquum verum, fiat. Quia posuisti civitates in tumulum: civitates fortes, ut caderent fundamenta earum. Impiorum civitates in aeternum non aedificabuntur. Propterea benedicet tibi populus pauperum, et civitates hominum iniquitatem sustinentium benedicent tibi. Fuisti enim omni civitati humili auxiliator, et tristibus propter inopiam protectio: ab hominibus pessimis liberabis eos: umbraculum sitientium, et spiritus hominum iniquitatem sustinentium quasi homines pusillanimes sitientes in Sion ab hominibus impiis, quibus nos tradidisti. Duplex hujus loci expositio est. Judaei putant vocem sanctorum esse, populique credentis: cum Deus adversum omnem orbem quae supra dicta sunt fecerit, et omnium prophetarum fuerint completa vaticinia; civitatemque subversam, Romam interpretantur, quae delenda sit penitus, populumque fortem, qui laudet Dominum, et cui factus sit Dominus fortitudo in tribulatione sua et angustia, referunt ad Israel, qui de persecutione gentium quasi in aestu ardentissimo et in siti liberatus sit. Alii vero et melius et rectius ex persona prophetae dici intelligunt, pro passione Domini Salvatoris gratias Patri referentis, quod

fecerit mirabilia, et cogitationes antiquas veritate compleverit, quando stantes ad dexteram audient: Venite, benedicti Patris mei, possidete praeparatum vobis regnum a constitutione mundi (Matth. XXV, 34). Quod et Paulus intelligens loquebatur: Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, esse nos sanctos et immaculatos (Ephes. I, 4); desideransque fieri quod prophetat, adjungit verbum Hebraicum AMEN pro quo LXX transtulerunt fiat. Et Dominus in Evangelio saepe hoc verbo utitur: Amen, amen, id est, vere, vere dico vobis (Joan. VI, 54). Quare autem laudet et confiteatur nomini Domini, et quae sint ista mirabilia, et cogitationes antiquae, quas veras opere demonstravit, sequitur: Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non sit civitas, et in aeternum non aedificetur. Civitas quondam fortis Jerusalem intelligitur, quae facta est domus alienorum; de quibus Salvator dicit in psalmo: Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveteraverunt et claudicaverunt in semitis suis (Ps. XVII, 46). Haec civitas cum destructa fuerit, in aeternum non aedificabitur, ut mille annorum regnum et aureae Jerusalem atque gemmatae somnia conquiescant. Destructa autem Jerusalem pro impietate sua, laudabit Dominum populus fortis. Quis sit autem populus fortis, sequens versus ostendit: Civitas gentium robustarum timebit te. Illis blasphemantibus, gentium populus te timebit. Principium enim sapientiae timor Domini (Prov. IX, 10). Laudabitque te populus fortis, et civitas gentium robustarum timebit te, hoc est Ecclesia de gentibus congregata. Quia factus es fortitudo pauperi, Christo tuo, de quo et in Psalmis legimus: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem (Ps. XL, 1). Et in Zacharia secundum Hebraicam veritatem, pauper, hoc est EBION, super pullum asinae sedere describitur (Zach. IX). Fortitudo egeno, in tribulatione passionis suae, spes a turbine patibuli, et umbraculum ab aestu, quando locutus est: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (Luc. XXIII, 46). Quomodo enim si ventus impingatur parieti atque pertranseat: sic turbo

blasphemantium Judaeorum illi nocere non potuit. Et ut alia utar similitudine, sicut propago gravissimo torretur aestu, atque flaccescit, ita tumultum et clamorem alienorum, hoc est, qui a te alieni facti sunt, marcescere facies et perire. Juxta LXX interpretes, non dico sensum, sed verborum ordinem et consequentiam, in hoc loco reperire non potui. Et pro eo loco, ubi nos interpretati sumus, sicut aestum in siti, pro quo in Hebraeo scriptum est BASAION, quod apud eos invium, vel sitis, dicitur; quare illi pro invio et in siti verterint, in Sion; error perspicuus est, ob similitudinem verbi SAION et SION, quod eisdem signatur elementis.

## (Vers. 6---8.)

Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiae: pinguium medullatorum, vindemiae defaecatae. Et praecipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes. Et praecipitabit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universa terra: quia Dominus locutus est.

LXX: Et faciet Dominus Sabaoth omnibus gentibus super montem istum, bibent laetitiam, bibent vinum. Ungentur unguento in monte isto. Trade omnia haec gentibus, consilium enim hoc super omnes gentes: devoravit mors praevalens. Et rursum: Abstulit Dominus Deus omnem lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui abstulit ab omni terra. Os enim Domini locutum est. Pro eo quod nos vertimus, faciem vinculi colligati super omnes populos, Aquila interpretatus est, faciem tenebrarum super omnes populos. Cumque Aquila bis tenebras dixerit, Theodotio semel tenebras nominavit, caetera similiter. Pro quo Symmachus transtulit, faciem Dominatoris qui dominatur super omnes populos. Quid

autem voluerint pro hoc loco Septuaginta dicere: Trade omnia haec gentibus, legenti perspicuum est, quod non Scripturae verba, sed suum sensum posuerint, eo quod omnia mysteria Legis et Templi transferenda sint ad Ecclesias nationum. Post passionem ergo Domini, quando eum a siti et aestu, ac turbine liberaverit, faciet Dominus nequaquam populo Judaeorum, sed omnibus gentibus in monte Sion pingue convivium, holocausta medullata, et vinum vindemiae defaecatae, ut praecipitet et absorberi faciat faciem mortis et vinculi quo omnes populi ligabantur; disrumpetque rete mortis, et telam quae omnes ceperat nationes. Et juxta Apostolum, absorbebitur mors in perpetuum (I Cor. XVI). Et auferet Dominus lacrymam ab omni facie, quando morte superata, Christi advenerit regnum: et opprobrium generis humani, quod ad imaginem conditum fuerat Creatoris, diaboli et mortis effugerit servitutem. Nec mirum si juxta Symmachum domina appelletur mors, cum beatus Apostolus dixerit: Regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam super eos qui non peccaverunt, in similitudinem praevaricationis Adam (Rom. V, 14). Dominatorem omnium populorum, sive faciem tenebrarum super omnes populos, et telam quae ordita sit super omnes gentes, quidam Antichristum intelligi volunt, qui in monte Oliveti consumendus sit, quod et in Danielis ultima diximus visione. Juxta LXX omnibus gentibus in monte Sion convivium laetitiae praeparatur, in quo bibent vinum, quod se Dominus cum sanctis suis in regno Patris sui bibiturum esse promisit (Matt. XX et Luc. XXII): et ungentur unguento, ut renati in Christo efficiantur populus novus; unde dicitur: Trade omnia haec gentibus, quae quondam Israel in typo et imagine celebrabat. Hoc enim consilium Domini est, ut cuncta transferantur ad gentes, quia mors absorpta est (I Cor. XV) et lacryma omnis abstersa, et opprobrium universae terrae, Christi imperio succedente, deletum est.

## (Vers. 9 seqq.)

Et dicent in die illa: Ecce Deus noster iste, exspectavimus eum, et salvabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, exsultabimus et laetabimur in salutari ejus. Quia requiescet manus Domini in monte isto; et triturabitur Moab sub eo sicut teruntur paleae in plaustro. Et extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum, et humiliabitur gloria ejus cum allisione manuum ejus. Et munimenta sublimium murorum tuorum concident, et humiliabuntur et detrahentur in terram usque ad pulverem. Absorpta morte in perpetuum, populus Dei qui de manu mortis fuerit liberatus, dicet ad Dominum: Ecce Deus noster iste, quem increduli hominem tantum putabant; et exspectavimus eum, hoc est, verbis ejus credidimus, quia sua promissa complebit, et salvabit nos. Propterea ejus auxilio de faucibus mortis erepti, exsultabimus et laetabimur in eo: et manus atque ejus potentia requiescet in monte isto. De quo supra legimus: Cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, et in Jerusalem, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus (Isai. XXIV, 23). Moab autem, quod interpretatur de patre, ita conteretur, ut solent plaustro paleae conteri. Hoc juxta ritum loquitur Palaestinae et multarum Orientis provinciarum, quae ob pratorum et feni penuriam, paleas praeparant esui animantium. Sunt autem carpenta ferrata, rotis per medium in serrarum modum se volventibus, quae stipulam conterunt, et comminuunt in paleas. Quomodo igitur plaustris ferratis paleae conteruntur, sic conteretur Moab sub eo, sive sub Dei potentia, sive in semetipso, ut nihil in eo integri remaneat. Et sicut solet qui natat totum corpus extendere: ita ille de sua potentia allidetur in terram, et ruens sonitum faciet. Omnia quoque munimenta sublimium virorum illius, sive murorum, ut in Hebraico continetur, concident et humiliabuntur, et detrahentur in terram usque ad pulverem comminuta. Igitur sermo propheticus licet de consummatione mundi generaliter texat vaticinium, tamen ne praesentia omnino videatur negligere, nominat Moab, qui fuit inimicus Israel, in

tantum ut faceret eos fornicari cum Madianitis, et consecrari idolo Beelphegor, qui interpretatur Priapus, contra quem Jeremias loquitur: Egredietur Chamos in captivitatem, sacerdotes illius et principes ejus simul (Jerem. XLVIII, 7); Et iterum: Confundetur Moab in Chamos, sicut confusa est domus Israel in Bethel (Ibid., 13), et reliqua his similia: atque ex uno idolo et daemone, qui huic idolo praesidebat, omnes indicat contrarias fortitudines humiliandas et deducendas in tartarum, et instar pulveris conterendas. Si autem hoc ita erit, ubi est diaboli poenitentia?

## (Cap. XXVI.---Vers. 1.)

In die illa cantabitur canticum istud in terra Juda: Urbs fortitudinis nostrae, Salvator ponetur in ea murus et antemurale.

LXX: In die illa cantabunt canticum istud super terram Judaeam: Ecce civitas fortis, et salutare nostrum ponet murum et circummurale. Cum humiliatus fuerit Moab, et detractus ad terram usque ad pulverem, et omnes inimici substrati Christi pedibus, tunc cantabitur canticum istud in terra Juda sive Judaea, quod interpretatur utrumque confessio: ut quomodo Sion et Jerusalem urbem coelestem intelleximus, ita et regionem hujus urbis confessionem coelestem intelligamus. Denique sancti in terra aliena carmen Judaeae cantare nolentes, dicunt: Quomodo cantabimus canticum Domino in terra aliena (Ps. CXXXVI, 4)? Ego puto hoc esse canticum, de quo et in alio loco sanctis praecipitur: Cantate Domino canticum novum (Ps. XCV, 1). Erit autem canticum hoc quod sequitur: Urbs fortitudinis nostrae Salvator (Matth. V). Quae est ista urbs? Quae in monte sita latere non potest. De qua et in alio loco scriptum est: Fluminis impetus laetificat civitatem Dei (Psal. XLV, 4); et rursum: Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (Psal. LXXXVI, 2). Hujus urbis ille conditor est, de quo loquitur

pater: iste aedificavit civitatem meam: immo urbs fortitudinis nostrae Salvator est, id est, Jesus. Et ponetur in ea murus et antemurale. Murus bonorum operum, et antemurale rectae fidei, ut duplici septa sit munimento. Non enim sufficit murum habere fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur. Hic murus et hoc antemurale sive circummurale, de vivis lapidibus exstruitur, qui juxta prophetam volvuntur super terram. Pro eo quod nos vertimus, antemurale, Symmachus firmamentum interpretatus est: ut ipsi muri munitionibus cincti sint, et vallo fossaque et aliis muris, quos in aedificatione castrorum solent loriculas dicere.

## (Vers. 2-4.)

Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem. Vetus error abiit, servabis pacem: pacem, quia in te speravimus. Sperastis in Domino in saeculis aeternis.

LXX: Aperite portas, ingrediatur populus custodiens justitiam, et custodiens veritatem, apprehendens veritatem, et custodiens pacem: pacem, quoniam in te speraverunt, Domine, usque in sempiternum. Omne hoc canticum quod in terra confessionis et laudis sancti cantaturi sunt, mutat repente personas, et quasi per interrogationem et responsionem texitur. Dixerat populus Dei: urbs fortitudinis nostrae Salvator, ponetur in ea murus et antemurale. Respondit Dominus, immo praecepit non eis qui hoc dixerant, sed Angelis qui portis urbis Dominicae praesidebant, ut aperiant portas, et ingrediatur per eas gens justa, custodiens veritatem, sive ut in Hebraico dicitur EMMUNIM, quod nostra lingua vertitur, fides, plurali numero, non singulari. Quae sunt portae, quae aperiuntur ab Angelis; ut ingrediatur non populus Judaeorum, qui abjectus est, sed gens justa, quae ex fide fidelium nomen accepit? Utique illae de quibus sanctus loquitur: Aperite mihi portas justitiae, ingressus in eas confitebor Domino (Ps. CXVII, 19). Has

autem portas nullus poterit ingredi, nisi qui de portis mortis fuerit liberatus; et cum Psalmista dixerit: Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion (Ps. IX, 15). Cum enim de portis mortis fuerimus erepti, tunc in portis filiae Sion omnes laudationes Domini cantare poterimus. Et quomodo portas mortis reor esse peccata, de quibus ad Petrum dicitur: Portae inferni non praevalebunt adversum te (Matth. XVI, 18): sic portas justitiae, omnia opera virtutum, quas qui fuerit ingressus, unam inveniet portam, de qua dicitur: Haec porta Domini, justi intrabunt in eam (Ps. CXVII, 19). Et quomodo per plures margaritas ad unum pergitur margaritum: sic per multas vias et portas pervenimus ad eum qui dicit esse se viam et portam, per quam ingredimur ad Patrem. Post sermonem Dei, respondit populus Hebraice JESER SAMUCH quod Aquila et Symmachus similiter transtulerunt, ---, hoc est, error noster ablatus est, sive cogitatio nostra firmata est, quae prius inter te et idola fluctuabat, ut nequaquam circumferamur omni vento doctrinae, sed in te Dominum Salvatorem tota mente credamus. Pro quo nos ut sensus manifestior fieret, transtulimus, vetus error abiit. Et quia cogitatio nostra firmata est, propterea servabis nobis pacem, quam Apostolis pollicitus es, dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis (Joan. XIV, 27); et non solum semel, sed secundo, ut secura sit retributio quae duplici sermone promittitur, juxta quod et Apostolus loquebatur: Gaudete, iterum dico gaudete (Philipp. IV, 4). Hoc autem ille consequitur, de quo in Levitico dicitur: Homo, homo, filiorum Israel (Levit. XVII). Et in Numerorum libro: Vir, vir, cujus uxor cubile macularit (Num. V, 12): ut duplex homo et duplex vir, pacem duplicem consequantur. Meremur autem, inquiunt, pacem, quia in te tota mente confidimus. Post populi verba et responsionem Domini, et rursum vocem populi Propheta loquitur ad credentes: Sperastis, vel sperate in Domino, in saeculis sempiternis, et caetera quae sequuntur. Juxta LXX, ille ingreditur portas Domini, qui custodit justitiam in

bonis operibus, et servat sive amplectitur veritatem in fidei veritate, ut per bona opera et fidem perveniat ad pacem, quae omnem sensum exsuperat, et ipsam pacem mereatur accipere; quia credidit in Deum qui aeternis bonorum operum retributor est (Philipp. IV). Unde et in alio loco scribitur: Desiderasti sapientiam, serva mandata, et Dominus tribuet tibi eam (Eccl. I, 33).

## (Vers. 5, 6.)

In Domino Deo forti in perpetuum: quia incurvabit habitantes in excelso: civitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam usque ad terram: detrahet eam usque ad pulverem. Conculcabit eam pes, pedes pauperis gressus egenorum.

LXX: Deus magne aeterne, qui humiliasti, et detraxisti eos qui habitant in excelsis, civitates robustas destrues, et deduces usque ad pavimentum, et conculcabunt eas pedes mansuetorum et humilium. Et haec Propheta loquitur, qui ab eo respondit loco in quo supra dixerat: Sperate in Domino in saeculis aeternis; et jungit ei quod nunc proposuimus: In Domino Deo forti in perpetuum, et reliqua. Pro Domino Deo forti, in Hebraico tria habet nomina, IA et ADONAI et SUR, quod aliud invisibilem, aliud ineffabilem, aliud robustum sonat, quorum primum in ALLELUIA extrema syllaba ponitur. Et hoc diligens lector observet, quod interdum textum in propositione testimonii dividamus: quoniam alium LXX editio, et alium ex Hebraeo ad verbum expressa translatio efficit sensum. Dicit ergo Propheta: Sperate in Domino in saeculis aeternis: in Domino Deo forti in perpetuum, cujus auxilium sempiternum est. Ipse enim incurvabit habitantes in excelso, quia omnis qui se exaltat humiliabitur; qui patrem Abraham se habere jactabant, et in suggillationem Domini loquebantur: Nos de fornicatione nati non sumus (Joan. VIII, 41). Ipse civitatem sublimem humiliabit, ut Judaei putant, Romam: ut nos

rectius esse convincimus, Jerusalem, quae occidit Prophetas, et lapidavit eos qui ad se missi erant, et ad extremum patrisfamilias interfecit filium, ut haerede jugulato, periret haereditas (Luc. XIII). Nec vocatur civitas, quae Hebraice dicitur IR, sed CARIA quam Aquila πολίχνην interpretatus est, quam nos, vel civitatulam, vel viculum, vel oppidulum possumus dicere, et frequenter in Scripturis hoc nomine appellatur Jerusalem. Pulchreque duplicem humilitatem posuit: Humiliabit, humiliabit eam, primum sub Babyloniis, quando templum destructum est, secundo sub Tito et Vespasiano, cujus ruina usque in finem permanet. Conculcabit eam pes, repetitque et copulat pedes pauperis, haud dubium quin Christi. De quo et supra diximus: Factus est fortitudo pauperi; fortitudo egeno in tribulatione sua. Gressus egenorum, Apostolorum scilicet, qui imitantes Domini paupertatem, etiam virtutis ejus privilegium consecuti sunt; qui non recepti, excusserunt super eam pulverem pedum suorum. Et quia Salvatoris dicitur verbis, Omnis qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur (Luc. XIV, 11), non solum hoc ad homines, sed ad contrarias quoque fortitudines referre possumus. Juxta LXX, laudes Deo Propheta decantat, quod omnes superbos humiliet, et universarum urbium munimenta usque ad solum diruat, et sanctorum ea mitiumque et humilium calcent pedes.

## (Vers. 7-9.)

Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum: et in semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te, nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae: anima mea desideravit te in nocte.

LXX: Via justorum recta, recta facta est via justorum, et praeparata. Via enim Domini judicium, speravimus in nomine tuo: et in memoria quam desiderat anima nostra. Adhuc Propheta de Christo loquitur, de quo supra dixerat: Conculcabit eam pes, pedes pauperis. Hujus ergo justi

semita recta est, sive, ut verbum novum fingam, rectitudines, quas Graeci vocant --- et nos aequitates Latinius possumus appellare, dicunturque Hebraice MESSARIM. In una igitur Christi semita omnes justitiae reperiuntur, et propterea eam suo calcavit et trivit pede, ut quicumque per eam voluerit ambulare, cursu ambulet inoffenso. In hac semita judiciorum Domini, sustinuerunt eum sancti, et speraverunt in eo, quia spes non confundit. Et nomen illius et memoriale habuerunt in desiderio animae, dicentes: Concupivit anima mea desiderare judicia tua in omni tempore (Ps. CXVIII, 20); et iterum: Desiderat anima mea, et defecit in salutari tuo (Ibid. 81). Qui autem nomen Domini habet in desiderio, aliud non desiderat. Et hoc notandum, quod desiderium Domini non in carne sit, sed in anima, juxta illud quod in alio psalmo legimus: Sitivit anima mea ad Deum, fortem, vivum (Ps. LI, 2). Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem (Galat. V). Haec enim sibi invicem adversantur, ne quae volumus, illa faciamus. Quodque sequitur: In nocte, juxta LXX, sequenti capitulo jungitur, juxta Hebraicum priori. Ille autem potest dicere: Anima mea desideravit te in nocte, qui cum Psalmista loquitur confidenter: Lavabo per singulas noctes lectum meum, in lacrymis stratum meum rigabo (Ps. VI, 7). Potest nox et tenebrae, pro tribulatione et angustiis accipi. Unde et in alio psalmo super justi securitate Propheta decantat: Per diem sol non uret te, neque luna per noctem (Ps. CXX, 6), id est, nec in prosperis, nec in adversis unquam de tuo moveberis gradu.

Sed et spiritu meo in praecordiis meis, de mane vigilabo ad te. LXX: De nocte consurgit spiritus meus ad te, Deus: quia lux judicia tua super terram. Volumus et Hebraicum sequi, et Vulgatam editionem non penitus praeterire, et hac rerum necessitate compellimur diverso ordine, atque sermone diversas intelligentias quaerere. Igitur quod dicitur, de nocte, juxta LXX, hujus capituli, ut diximus, principium est: juxta Hebraicum, finis superioris;

licet possit etiam juxta LXX in fine accipi superioris testimonii, ut sit sensus: Desiderat anima mea ad te nocte; et postea incipiat, mane consurgit spiritus meus ad te, Deus. Ideo autem mane consurgit, quia lux praecepta tua super terram. Servans enim mandata tua, et illuminatus eorum lumine, de quibus dicitur: Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos (Ps. XVIII, 9), dormire nequeo, sed omni tempore te desiderans, meo ad te consurgo spiritu. Et hoc observandum, quod in nocte adhuc positi, animo desideremus Dominum. Postquam autem spiritus noster in praecordiis nostris tota se ad Deum mente commoverit, mane vigilemus ad eum, atque ut manifestius dicam, animae, nox et desiderium, spiritui autem mane jungitur et vigiliae. Porro spiritu in praecordiis suis evigilat ad Deum, qui potest dicere: De profundis clamavi ad te, Domine (Ps. CXXIX, 1).

## (Vers. 10.)

Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis. Misereamur impio, et non discet justitiam, in terra sanctorum inique egit, et non videbit gloriam Domini.

LXX. Justitiam discite, qui habitatis super terram. Cessavit enim impius, et non discet justitiam super terram, veritatem non faciet, auferatur impius, ut non videat gloriam Domini. Dicamus primum juxta Hebraicum, et si sensum Prophetae voluerimus exprimere, tunc ad LXX Interpretes transeamus. Quamdiu non exerces judicia tua super terram, et nec bonis bona, nec malis retribuis mala, justitia tua, o Domine Deus, ignoratur in terra. Cum autem in judicii die pro qualitate operum unicuique reddideris quod meretur, tunc justitia tua cognoscetur in orbe terrarum, quae prius apud incredulos videbatur injusta, ita ut unus sanctorum quoque diceret: Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei: quoniam zelatus sum super iniquis, pacem peccatorum

videns (Ps. LXXII, 2). Ad quod respondit Dominus: Misereamur impio; quod exceptis Septuaginta, omnes similiter transtulerunt. Et est sensus: magis impius misericordiam consequatur, et discat clementiam meam; dum etiam ipse salvatur. Rursumque loquenti Domino, ex persona humanae impatientiae Propheta respondit: Et non discet justitiam. Estque sensus: et quomodo poterit tuam nosse justitiam, si tantum clementiam fuerit expertus? Redditque causas, quare eum velit Dei justitiam discere: quia in terra sanctorum inique gessit, et contra sanctos tuos jugiter dimicavit, debet sentire tormenta. Rursumque Dominus sententiam temperans, Et non videat, inquit, sive non videbit gloriam Domini. Estque sensus: sufficit ei pro universa poena, quod me cum sanctis meis non videbit in mea majestate regnantem. Quidam impium, hoc est, RESA, diabolum intelligi volunt, de quo in nono psalmo scribitur: Increpasti gentes, et periit impius: nomen eorum delesti in aeternum et in saeculum saeculi. Inimici defecerunt frameae in finem, et civitates eorum destruxisti (Psal. IX, 6). Nos autem generaliter impium vel pro peccatore, vel pro eo qui Dei cultum non habet, accipiamus. Juxta Septuaginta jubentur habitatores terrae justitiam discere. Omnis enim vir videtur sibi justus; Deus autem corda omnium novit, qui reddet unicuique secundum opera sua (Prov. XXI). Et in alio loco ejusdem voluminis dicitur: Sunt viae viri, quae videntur rectae; novissima autem earum respiciunt in profundum inferni (Prov. XIV, 12). Unde debemus justitiam discere, nec confidere in proprio judicio. Est enim justus qui pereat in justitia sua (Eccles. VII); non quo justus sit, sed quo sibi justus esse videatur. Sin autem Christus factus est nobis a Deo sapientia, et justitia, sanctificatio et redemptio (I Cor. I), quibus praecipitur ut cognoscant justitiam, hoc jubetur ut Christum discant atque cognoscant. Propterea autem praecipio, ait, vobis ut discatis justitiam, quia ablatus est impius; et regnum illius detructum est, qui quamdiu regnabat in terra, justitiam scire non poterat, nec facere veritatem. De qua alibi

scribitur, quod gratia et veritas per Jesum Christum facta sit (Joan. XVII). Et quia in terra veritatem non facit impius, auferetur: non enim meretur Dominum videre regnantem.

## (Vers. 11).

Domine, exaltetur manus tua, et non videant: videant, et confundatur zelus populi, et ignis hostes tuos devoret.

LXX: Domine, excelsum est brachium tuum, et nesciebant, scientes autem confundentur: zelus apprehendet populum ineruditum, et nunc ignis adversarios comedet. Hoc quod supra dixerat: et non videbit gloriam Domini, potest sic intelligi: Postulas, o Propheta, ut non miserear impio, ne si misertus ejus fuero, incipiat nescire justitiam, qui in terra sanctorum inique gessit; ego tibi respondeo, ergone gloriam Domini non videbit? ergo non cernet triumphos meos, qui magis me debet videre regnantem, ut sciat quanto bono careat? et hoc pressius voce interrogantis legendum est. Ad quod Propheta respondit: Domine, exaltetur manus tua, et extendatur ad percutiendum, ut te non videant impii, et tuae gloriae, ne ad poenitendum quidem, lumine perfruantur. Cui respondit Dominus: Videant magis et confundantur, vel zelus populi, vel zelantes populi, et ignis adversarios tuos, id est, sanctorum populi, devoret atque consumat. Ignis autem poenitentiae, qui eorum corda excruciet, quod talem Dominum perdiderunt. Potest hoc et super Judaeis intelligi, qui Christum brachium Domini nescierunt, cumque viderint eum atque cognoverint, quem patibulo affixerant, confundentur. Tunc ineruditus populus et nesciens legem Dei, zeli stimulis incitabitur, quando viderit nationes in suum successisse locum, et igne poenitudinis arserit, sive dolore supplicii, quando audierit illud quod scriptum est: Ite in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo, et angelis ejus (Matth. XXV, 41).

## (Vers. 12.)

**Domine, dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis.**

LXX: Domine Deus noster, pacem da nobis: omnia enim reddidisti nobis. Notandum quod postquam nobis opera nostra reddiderit, pacem daturus sit, et quomodo exponat causas, cur postulet pacem. Pro cunctis enim operibus quae operati sunt super terram, dicunt se sustinuisse tormenta, et justum esse ut post supplicia atque cruciatus, misericordiam consequantur. Sive aliter: Quia venit mundi consummatio, et omnia quae per Prophetas locutus es, rebus expleta sunt, et reddidisti universa quae pollicitus es, tribue nobis pacem, quae exsuperat omnem sensum.

## (Vers. 13.)

**Domine Deus noster, possederunt nos Domini absque te: tantum in te recordemur nominis tui.**

LXX: Dominus Deus noster, posside nos: Domine; extra te alium nescimus, nomen tuum invocamus. Idcirco misericordiam quaesumus et pacem, quae post cuncta tribuenda est, quia nos absque te domini possederunt, idola videlicet, vel daemones idolis assidentes: nihilque aliud postulamus, nisi ut digni simus post errores plurimos, qui tui nominis recordemur. Juxta LXX, qui dixerunt: Domine Deus, posside nos, hoc precantur, ut post pacem sibi redditam Dei possessio fiant. Quod quidem et de Sapientia legimus, quae juxta Hebraicum loquitur in Proverbiis: Deus possedit me initium viarum suarum (Prov. VIII, 22), licet quaedam exemplaria male pro possessione habeant creaturam. Denique sequitur: Ante omnes autem colles generavit me. Quomodo enim creaturae generatio poterit coaptari, quae magis possessioni congruit? Scriptum est in Deuteronomio:

Nonne iste pater tuus possedit te, et fecit te, et creavit te (Deut. XXXII, 6)? Et hoc considerandum, quod non dixerit, Dominus, sive Deus, possedit te, et fecit te, et creavit te; sed pater, ut clementia nominis austeritatem potentiae mitigaret. Quodque sequitur: Domine, absque te alium non novimus, non excludit Filium, sed jungit Patri, neque enim dixit «Alium non novimus,» sed «Extra te alium non novimus.» Cum autem dicat Filius: Ego in Patre et Pater in me, extra Patrem non novimus Filium (Joan. XIV, 10), quia in Patre cognoscimus eum. Denique et nomen illius nominamus dicentes in Oratione Dominica: Pater noster qui es in coelis (Matth. VI, 9).

## (Vers. 14).

Morientes non vivant: gigantes non resurgant. Propterea visitasti et contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum.

LXX: Mortui enim vitam non videbunt: neque medici suscitabunt. Idcirco induxisti, et perdidisti, et tulisti omne masculum eorum. Symmachus more suo manifestius: Mortui non vivificabunt: gigantes non suscitabunt. Propterea visitasti, et contrivisti eos, et disperdidisti omnem memoriam eorum. Dicamus primum juxta LXX: Quaestio videtur esse difficilis, quomodo mortui vitam non videant? Quae sic solvitur: tamdiu eos vitam non videre, quamdiu mortui sunt. Quomodo si dicamus, caecus non videt lumen quamdiu caecus est; sin autem receperit sanitatem, lumen aspiciet: sic et qui iniquitate mortuus est atque peccatis, antequam vivificetur justitia atque virtutibus, per eum qui dicit, Ego sum vita (Joan. XIV), vivere non poterit. Unde et Deus vivorum dicitur, non mortuorum (Matth. XXII). Anima enim quae peccaverit, ipsa morietur (Ezech. XVIII, 4). Legimus in Epistola quae ad Hebraeos scribitur: Ne rursum fundamentum jaciamus poenitentiae ab operibus mortuis (Hebr. VI, 1). Sin autem peccata appellantur opera mortua: quare non e contrario

virtutes appellentur opera viva? Quodque sequitur, Nec medici suscitabunt, sensus perspicuus est, condemnari fabulas poetarum, qui ab Aesculapio jactant Virbium suscitatum. Non solum autem hoc de mortuis, sed de omni infirmitate dicendum est, quod absque Dei misericordia nihil medendi ars valeat. Sed quomodo? Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilavit qui custodit eam (Ps. CXXVI, 1, 2). Sic nisi Dominus languorem curaverit, in vanum laborant medici qui cupiunt sanare languentes. Nisi Dominus custodierit sanitatem, in vanum custodiunt, qui etiam praecepta custodiendae salutis propriis edunt libris: semperque discendum est non solum in corporis, sed etiam in animae sanitate: Benedic, anima mea, Domino, qui sanat omnes languores tuos (Ps. CII, 1, 3). Porro qui peccato mortui perseverant, et nulla arte medicinae possunt recipere animae sanitatem, isti disperdentur et tollentur a Domino, et quidquid robustum est in eis, quod masculinum vocatur, penitus auferetur. Unde et Pharao non vult interficere sexum femineum, qui per se fragilis est et facile interire potest, sed omne masculinum, quod si adultum fuerit, et in virilem aetatem pervenerit, difficulter occiditur (Exod. I). Juxta Symmachum, mortui non vivificabunt, quia peccato mortui, alios vivificare non possunt, nec pulchra est laudatio in ore peccatoris. Et gigantes, id est, RAPHAIM, non suscitabunt alios, qui ipsi juxta Geneseos librum appellantur cadentes. Visitatque eos Dominus, ut et mortuorum et gigantium omnis deleatur memoria. Solus enim est qui suscitat mortuos de quo dicitur: Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius vivificat quos vult (Joan. V, 21). Possumus mortuos simulacra appellare hominum mortuorum, et gigantes daemones, qui simulacris eorum assident. Nec terrere nos debet, quare LXX masculum, et caeteri Interpretes memoriam transtulerunt, cum eisdem tribus litteris ZAI, et CHAPH, et RES utrumque scribatur apud Hebraeos. Sed quando memoriale dicimus, legitur ZACHAR; quando masculum,

ZOCHOR. Et hac verbi ambiguitate deceptum arbitrantur Saul, quando pugnavit contra Amalech et interfecit omne masculinum eorum (I Reg. XV). Deo enim praecipiente, ut deleret omnem memoriam Amalech sub coelo, ille pro memoria, non tam errore, quam praedae seductus cupidine, masculos interpretatus est, nesciens illud Apostoli: Nolite errare, Deus non irridetur (Galat. VI, 7).

## (Vers. 15.)

Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti. Numquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terrae.

LXX: Adde eis mala, Domine, adde mala gloriosis terrae: longe fecisti omnes terminos terrae. Mala quae LXX secundo posuerunt, in Hebraico non habentur; sed quia supra dixerat, Ideo induxisti et perdidisti, et tulisti omne masculum eorum, eumdem sensum secuti, addiderunt de suo, mala: ut qui gloriosi in terra sunt, malis duplicibus opprimantur. Porro juxta Hebraeos multo aliter est sensus, et priori disputationi congruens. Dixerat Dominus: Misereamur impio. Propheta responderat: Et ubi est justitia tua? praesertim cum tanta mala in sanctos tuos operatus sit. Ad quod Dominus: Et non videbit, inquit, gloriam Domini. Rursum Propheta: Exaltetur manus tua ad percutiendum, et non videant gloriam tuam, quam non merentur aspicere. Ad quod Dominus: Videant magis et confundantur. Rursum Propheta: Domine, pacem da nobis, et posside nos, qui tui nominis recordamur. Impii autem et superbi non vivant, nec resurgant in gloria, sed contere omnem memoriam eorum. Causasque reddit, cur eos cupiat interire. Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti, numquid glorificatus es? Et est sensus: Saepe misertus es gentibus, id est, humano generi, et exercuisti in eas incredibilem clementiam, numquid te cognoverunt? numquid glorificaverunt nomen tuum? Nonne e contrario a te longius recesserunt? Securitas enim negligentiam, negligentia contemptum parit.

## (Vers. 16.)

**Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.**

**LXX: Domine, in tribulatione recordatus sum tui, in tribulatione parva doctrina tua nobis. Quia indulgens saepe contemptus es, nec glorificatus; sed e contrario omnes a tua scientia recesserunt; propterea, Domine, percute eos, ut in angustia te requirant, et in tribulatione murmuris doctrina tua sit eis: quando tantum eis malorum pondus incumbet, ut ne clamare quidem audeant confidenter, sed dolorem suum silentio devorent. Juxta LXX, in tribulatione Propheta Domini recordatur, juxta illud quod in psalmo dicitur: De tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine (Ps. CXVII, 5). Et in alio loco: Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me (Ps. CXIX, 1). Unde Apostolus loquitur: Tribulamur, sed non angustiamur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur (I Cor. IV, 12). Et in alio loco: Non sunt condignae passiones hujus temporis ad venturam gloriam quae revelabitur in nobis (Rom. VIII, 18). Si autem parva tribulatio docet, et emendat, et corripit, quanto magis magna, cum admonemur conditionis nostrae, et Dei potentiae recordamur!**

## (Vers. 17, 18.)

**Sicut quae concepit cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus a facie tua, Domine. Concepimus et quasi parturivimus, et peperimus spiritum.**

**LXX: Et sicut parturiens cum appropinquat ad partum in dolore suo clamat: sic facti sumus ÷ dilecto tuo ** propter timorem tuum, Domine, in utero accepimus, et parturivimus, et peperimus spiritum salutis tuae, quae fecimus super terram. Sicut ad partum mulier**

appropinquans, dolore cogitur exclamare: sic nos in angustia requirimus te, et a facie formidinis tuae concepimus, et parturivimus, et peperimus, non carnis liberos, sed spiritus: ut tota in te mente credamus, ut quem per beneficia non sensimus, per tormenta discamus. Hoc quod LXX addiderunt, sic facti sumus dilecto tuo; pro quo caeteri transtulerunt, sic facti sumus a facie tua, Domine, obelo praenotandum est. Possumus autem dilectum Domini Christum accipere, propter cujus timorem concipimus, et parturimus, et parimus, et spiritum salutis facimus super terram. Potest hoc et Apostolicus vir dicere, quando populos erudit et imitatur apostolum Paulum: Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis (Galat. IV, 19). An dubitandum est quod Paulus apostolus spiritum salutis fecerit super terram, qui de Jerusalem usque ad Illyricum Evangelium praedicavit (Rom. XV), et quasi sapiens architectus fundamentum posuit, extra quod nullus alius potest ponere, qui est Christus Jesus (I Cor. III)? Sive igitur legerimus, propter timorem tuum, Domine, in utero accepimus: sive juxta Hebraicum, a facie tua, Domine, concepimus, et in utero accepimus, utrumque ad id pertinet, ut ex timore et recordatione Domini sermonem concipiamus Dei, et illuminetur cor nostrum dicentium: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (Ps. IV, 7). Et, ostende faciem tuam, et salvi erimus (Ps. LXXIX, 4).

Salutes non fecimus in terra: ideo non ceciderunt habitatores orbis. LXX: Non cademus, sed cadent habitatores terrae. Diversa interpretatio necesse est ut diversum habeat et sensum. Juxta Hebraicum hoc dicitur: Quia nihil dignum tua fecimus misericordia, propterea impii non corruerunt, sed usque hodie praevalent et possident terram. LXX autem hoc asserunt, quod facientibus sanctis spiritum salutis super terram, qui terrae habitatores sunt corruant, licet inter orbem, qui Hebraice THEBEL, et Graece dicitur οἰκουμένη, ac terram, multa diversitas sit. Cadent ergo quicumque

habitationi terrae se dederunt, et in terrenis operibus fixa radice fundati sunt; et non cadent qui sedent in orbe terrarum et requiescunt in Ecclesia, quae habitaculum Patris, et Filii, et Spiritus Sancti est.

## (Vers. 19.)

Vivant mortui tui, interfecti mei resurgant: expergiscimini et laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros luminum ros tuus, et terram gigantium detrahes in ruinam. LXX: Resurgent mortui, et resurgent de sepulcris, et laetabuntur qui sunt in terra. Ros enim tuus sanitas eorum, terra autem impiorum cadet. Sanctis parturientibus et parientibus spiritum, et habitatoribus terrae corruentibus, quia salutes non fecerunt in terra, hi quos in Christo mortuos Apostolus vocat, et propter nomen Domini interfecti sunt, resurgent in gloria (I Thess. IV). Et quia mors eorum somnus est, nequaquam juxta LXX resurgere, sed expergisci et evigilare dicuntur. Unde et Lazarus qui evigilandus erat, a Domino dormiens appellatur (Joann. XI). Omnes igitur martyres et sancti viri, qui pro Christo fuderunt sanguinem, et quorum fuit tota vita martyrium, resurgent et evigilabunt, atque laudabunt Deum Creatorem suum, qui nunc habitant in pulvere, de quibus in Daniele scriptum est: Multi dormientium in terrae pulvere resurgent, hi in vitam aeternam, et hi in opprobrium, et confusionem sempiternam (Dan. XII, 1). Et in Joanne Evangelista legimus: Veniet hora, et nunc est, quando qui in sepulcris sunt audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent, et egredientur qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, et qui mala, in resurrectionem judicii (Joann. V, 28, 29). Ros enim Domini, juxta fabulas Poetarum vincens omnes herbas Paeonias, vivificabit corpora mortuorum. Et quomodo jactis in terram seminibus, ros paulatim crescere facit herbas, et ad fruges sui generis pervenire: sic Domini ros qui pro misericordia ponitur, ros erit luminum plurimorum, quod Hebraice dicitur OROTH.

Terram autem, id est, corpora Raphaim, gigantium videlicet et impiorum, Dominus in poenas detrahet sempiternas. Denique pro RAPHAIM soli LXX impios transtulerunt. Et quia supra legimus: Mortui vitam non videbunt, nec medici suscitabunt, pro quo Aquila et Symmachus, Raphaim et gigantes interpretati sunt: quaerimus quae erroris causa sit, ut pro RAPHAIM Hebraico, alii gigantes, alii medicos posuerint. Verbum Hebraicum RAPHAIM si post RES primam litteram sequentem habeat VAU, legitur ROPHAIM et significat medicos; sin autem absque VAU littera scribatur, legitur RAPHAIM, et transfertur in gigantes. Simulque quia supra dixerat: Mortui vitam non videbunt, ut manifestius demonstraret non dici ibi de mortuis lege naturae, et separatione animae ac corporis; sed de his qui peccato mortui sunt: nunc e contrario dicit ad Deum: Vivent mortui tui, qui interfecti sunt propter te, qui non absolute mortui, ut LXX transtulerunt; sed juxta Hebraicum ubi dicitur JEJU METHECA, mortui tui appellantur.

Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te: abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terrae contra eum, et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos. LXX: Vade, populus meus, ingredere cubicula tua, claude ostium tuum: abscondere paululum quantulumcumque, donec pertranseat ira Domini. Ecce enim Dominus de sancto inducet iram super habitatores terrae, et revelabit terra sanguinem suum, et non abscondet ultra interfectos. Supra de Sanctis dixerat, Resurgent mortui, et resurgent qui in sepulcris sunt; ros enim a te sanitas eorum est: et e contrario de impiis, terra autem impiorum cadet; nunc ad sanctos loquitur, quia vobis resurrectio repromissa est, donec in peccatores et impios ira Dei desaeviat: ingredimini in sepulcra vestra, et abscondite vos, breve enim tempus est donec Dei pertranseat indignatio.

Siquidem egreditur Dominus de loco suo, quia misericors et miserator Dominus, et clementissimus pater filios negligentes ferire compellitur, et quodammodo de sua sententia commutari, ut visitet et inducat iram suam super habitatores terrae, de quibus dicitur in Osee: Maledictio et mendacium, et adulterium, et furtum effusa sunt super habitatores terrae (Osee, IV, 2). Et in Apocalypsi tertio legimus, Vae super habitatores terrae (Apoc. VIII, 13). Porro justi, licet videntur in terra, tamen conversatio eorum in coelis est, qui possunt dicere: Advena ego sum in terra, et peregrinus sicut omnes patres mei (Ps. XXXVIII, 13), et fruuntur habitatione Altissimi, de quibus sanctus loquitur: Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur (Ps. XC, 1). Tunc revelabit terra sanguinem suum, de quo Deus loquitur ad Cain: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, quae aperuit os suum, ut susciperet sanguinem fratris tui de manu tua (Genes. IV, 10, 11). Potest et hoc de Martyribus intelligi, qui pro Christo fuderunt sanguinem, et sub altari Dei clamitant: Usquequo, Domine, non ulcisceris sanguinem nostrum de his qui habitant super terram (Apoc. VI, 10)? De quibus et Moyses dicit in Cantico: Sanguis filiorum ejus vindicabitur et ulciscetur, et retribuet vindictam inimicis (Deut. XXXII, 43). Hunc sanguinem terra quae susceperat, revelabit, et interfectos Domini nequaquam operiet; sed producet in publicum ad condemnationem eorum qui Martyres occiderunt. Hoc de simplici resurrectione intellectum sit. Praecipitur autem juxta Anagogen populo Dei, ut ingrediatur cubicula sua sive cellaria, --- quippe utrumque significat: ut claudat juxta Evangelicum praeceptum ostium cubiculi sui (Matth. VI), et dicat cum Propheta: Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium munitum labiis meis (Ps. CXL, 3). Et abscondatur paululum quantulumcumque, donec pertranseat ira Domini, ut nihil gloriae causa faciat; sed fruatur bono conscientiae, et solum judicem exspectet Deum. Sunt autem cellaria quae claudenda sunt et abscondenda ab his qui divites facti

sunt in operibus atque sermonibus, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia, ut nesciat sinistra quid faciat dextera, ut Legis et Prophetarum, et Evangelii opibus perfruamur. Quod autem omnes dies vitae nostrae breves sint et parvuli Jacob excedens annos centum loquitur: Parvi sunt et pessimi dies mei (Genes. XLVII, 9). Ira autem Domini transitura illa est, quam thesaurizant sibi, qui nolunt agere poenitentiam; quae postquam transierit, nequaquam cellaria ultra claudentur, sed implebitur quod scriptum est: Nihil occultum quod non revelabitur, et absconditum quod non manifestetur (Luc. VIII, 17). Quodque sequitur: Ecce enim Dominus de sancto inducet iram suam: illud significat, quod a sanctis Dei ira incipiat, vel omnis illius ultio justa sanctaque sit, non de mentis perturbatione descendens, ut in hominibus solet; sed studio corrigendi. Terram autem habitatorum illam reor, de qua scriptum est: Audiat terra sermones oris mei (Deut. XXXII, 1). Et: Auribus percipe, terra (Isai, I, 2). Et iterum: Terra, terra, audi sermonem Domini (Jerem. XXII, 27). Quomodo enim qui in terra habitant, sic qui in carne sunt, Deo placere non possunt (Rom. VIII). Terra autem in hoc loco significat animam quae vivit carnaliter. Et revelabit sanguinem suum, si quempiam scandalizaverit, et cum Cain meretur audire: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, quae aperuit os suum, ut susciperet sanguinem fratris tui (Gen. IV, 10, 11). Omnis igitur sanguis in die judicii requiretur, nec abscondet terra sanguinem suum; et interfectos quos occidit, vel volens, vel per negligentiam, producet in medium.

## (Cap. XXVII.---Vers. 1.)

In die illo visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum, et occidet cetum qui est in mari.

LXX: In die illa inducet Deus gladium sanctum, et magnum, et fortem, super draconem colubrum fugientem, super draconem colubrum tortuosum, et occidet draconem qui est in mari. Tradunt Hebraei diabolum, id est, criminatorem, quod Graecum nomen est, Hebraice appellari SATAN, hoc est, adversarium. Unde et in Zacharia dicitur: Stabat Satan, id est, adversarius, a dextris ejus ut adversaretur ei (Zach. III, 1). Appellaturque et BELIAL, id est, apostata, praevaricator, et absque jugo. Unde et Apostolus: Quae, inquit, communicatio Christi ad Belial (II Cor. VI, 15)? et ubicumque LXX ponunt filios pestilentiae, in Hebraico scriptum est, filii Belial. Unde et illud quod in psalmo canitur de mysterio Salvatoris: Filius iniquitatis non apponet nocere ei (Ps. LXXXVIII, 23), in Hebraico dicitur, filius Belial. Appellaturque et aliis nominibus, ut in alio psalmo scriptum est: Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem (Psal. XC, 13). Qui draco proprie in Hebraico sermone appellatur LEVIATHAN. Ipse est magnus cetus, de quo, quod a Christo capiendus sit, mystico in Job sermone narratur: Qui magnum cetum capturus est (Job. XL, 20); nam et ibi pro ceto, Leviathan ponitur; et iterum: Adduces autem draconem in hamo, circumdabis capistrum naribus ejus; Statimque: Hoc est principium plasmatis Domini quod factum est, ut illudatur ab Angelis ejus. Et in psalmo: Hoc mare magnum et spatiosum: ibi reptilia quorum non est numerus: animalia parva cum magnis. Draco iste quem formasti ad illudendum ei (Ps. CIII, 25, 26). De hoc et in Apocalypsi scribit Joannes: Facta est pugna in coelo: Michael et Angeli ejus bellabant cum dracone, et draco pugnabat et Angeli ejus, et non praevaluerunt, nec locus inventus est eis in coelo (Apoc. XII, 7 et seqq.). Et: Missus est draco magnus, coluber antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui errare facit orbem terrarum universum; missusque est in terram, et Angeli ejus cum eo; ibique dicitur: Missus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos coram Deo nostro (Ibid., V, 10). Illudque

notandum quod in psalmo et in Job, propterea factus dicatur draco, hoc est, Leviathan, ut illuderetur ei ab Angelis. Unde et Apostoli accipiunt potestatem, ut calcent super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici (Luc. X). Quia igitur ab eo loco ubi scriptum est: Ecce Dominus dissipabit terram, et nudabit eam (Supra, XXIV, 1); sive juxta LXX: Ecce Dominus disperdet orbem terrarum, et desolabit eum, usque ad praesens capitulum, contra orbem in consummatione mundi judicium praedicatum est, et novissimus inimicus destruetur mors (I Cor. XV): propterea adversum diabolum extrema sententia est, ut inducatur super eum gladius sanctus, et magnus, et fortis, sive juxta Hebraicum et reliquos Interpretes, gladius durus. Non enim ut LXX arbitrati sunt CADESA dicitur, quod si esset, sanctum sonaret; sed CASA, quod proprie transfertur in durum. Unde et Cis pater Saul, durus appellatur. Gladium autem sanctum, sive durum, ob ejus sensum qui patitur, quidam nostrorum intelligunt Verbum Dei, de quo dicit Apostolus: Vivens autem Dei sermo et efficax, et acutus super omnem gladium ex utraque parte acutum (Hebr. IV, 12). Unde et in alio loco de ore Salvatoris gladium bicipitem exire legimus (Apoc. XIX). Cum autem in fine mundi adversum Leviathan, qui in principio Geneseos appellatur serpens prudentissimus super omnes bestias (Genes. III, 1), quae erant in terra, gladius sanctus sive durus, et magnus, et fortis fuerit inductus, fugiet qui numquam fugere consueverat, nesciens illud scriptum: Quo vadam a spiritu tuo, aut a facie tua quo fugiam (Ps. CXXXVIII, 7)? Pulchre quidam poeta in Gigantomachia de Encelado lusit:

Quo fugis, Encelade? quascumque accesseris oras,
Sub Deo semper eris.

Iste autem Leviathan coluber fugiens, in Hebraico dicitur BARI, quod Aquila interpretatus est vectem, Symmachus concludentem, Theodotio robustum. Vectem

autem sive claudentem puto appellari, quod multos suo carcere clauserit, et propriae subjecerit potestati, nihilque in se rectum habet, et idcirco dicitur tortuosus, nec imitari potest virgam Domini, de qua scriptum est: Virga directionis, virga regni tui (Psal. XLIV). Quem Dominus interficiet spiritu oris sui (II Thess. II), habitatorem quondam maris, falsorum et amarorum fluctuum. Qui dicunt diabolum acturum poenitentiam et veniam consecutorum, interpretentur nobis quomodo hoc accipiant, quod scriptum est: Et interficiet draconem qui est in mari, sive cetum. Secundo enim loco in praesenti capitulo, in Hebraico non appellatur Leviathan, sed THANNIN, quod proprie cetum sonat. Unde Hebraei autumant Leviathan habitare sub terra et in aethere: Thanniim vero in mari, quae Judaica fabula est. Quodque dicitur in extremo hujus capituli, in die illa, Eusebius priori jungit capiti, ne sequens prophetia huic tempori coaptetur. Hebraei autem et caeteri explanatores sequenti, quod nunc propositiuri sumus.

## (Vers. 2, 3.)

In die illa vinea meri cantabit ei. Ego Dominus qui servo eam, repente propinabo illi: ne forte visitetur contra eam, nocte et die servo eam.

LXX: In die illo vinea bona desiderium ejus, ut princeps illius sit. Ego civitas fortis, civitas quae oppugnatur: frustra potum dabo illi. Capientur enim nocte, die autem cadet murus. Multum Hebraicum in hoc loco a LXX editione discordat, idcirco singula ut proposuimus disseramus. Vinea de qua supra loquitur Isaias: Vinea facta est dilecto in cornu, in loco uberi, quae debeat intelligi, ipso docente discamus: Vinea enim Domini Sabaoth domus est Israel (Isai. V, 1), de qua in psalmo canitur: Vineam de Aegypto transtulisti, etc. (Ps. LXXIX, 9). Huic et per Jeremiam propinat calicem meracissimum (Jerem. XXV). Cum enim misisset eum ut

potionaret omnes gentes, et huic se Propheta libenter obtulisset officio, primum inebriare jubetur Jerusalem. Unde dicit: Decepisti me, Domine, et deceptus sum (Jerem. XX, 7). Bibet igitur Jerusalem, et propinatur ei meraca potio, ut planctum discat et fletum. Dicitque se Dominus multo eam tempore custodisse, et locum dedisse poenitentiae, et quia converti noluerit, subito inebriandam. Hoc enim dicit diebus egisse vel noctibus, ut ipsius semper auxilio servaretur. LXX autem eamdem pulchram appellant vineam, in qua fuit Lex et Prophetae, sacerdotium, et pontificium, et Dei notitia, dicente Scriptura: Notus in Judaea Deus, in Israel magnum nomen ejus (Ps. LXXV, 1). Quod alii putant, juxta editionem eorum ad Ecclesiam pertinere, qua nihil est pulchrius. Et de qua dictum est: Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (Ps. LXXXVI, 3): quae princeps est genitricis suae, et dicit in Cantico Canticorum: Filii matris meae pugnaverunt adversus me (Cant. I, 5). Et loquitur: Ego civitas firma, civitas quae oppugnatur. Pulchreque oppugnatur dixit, non expugnatur. Statimque jungit de Synagoga, quae de capite versa est in caudam: Frustra ei potum mearum tribuo doctrinarum, capietur enim in tenebris erroris sui. Et quia apertam lucem non recepit, per diem corruit murus ejus, id est, omne quod sibi putabat auxilium, nullusque erit adversariorum qui non capiat eam, quod de contrariis debemus intelligere potestatibus.

## (Vers. 4, 5.)

Indignatio non est mihi: quis dabit me spinam et veprem in praelio? Gradiar super eam: succendam eam pariter. An potius tenebo fortitudinem meam? faciet pacem mihi, pacem faciet mihi.

LXX: Non est quae non apprehenderit eam. Quis ponet me custodem stipulae in agro? propter adversariam hanc repuli eam. Idcirco fecit Dominus omnia quae disposuit: combusta sum; dicent habitatores

ejus, faciemus pacem illi: faciemus pacem ei. Juxta Hebraicum hic sensus est: Ego qui diebus et noctibus semper meam vineam conservavi, ne exterminaret eam aper de silva, ne bestiae devorarent. Numquid indignationem non habeo, et nescio ferire peccantem, et reddere unicuique quod meretur? Ubi Aquila posuit spinam, et veprem, in Hebraico scriptum est SAMIR et SAITH, quod adamantem, et loca sentium plena significat. Unde dicit: Quis me docebit ut durus sim, et meam vincam clementiam, et in praelio atque certamine truculentus incedam: ut gradiar super vineam, quam ante servavi, et succendam eam quam meo sepseram muro? An potius id aget fortitudo mea, ut iram differam, et salvem eos Evangelii clementia, qui nequaquam sunt Legis auctoritate servati? --- autem juxta Hebraicum legendum est: Quis me faciet durum atque crudelem, ut vincam naturam meam? Hoc quippe in deserto significatur et in spinis: ut eam quasi in praelio conteram atque succendam, quam semper mea diligentia custodivi. An potius tenebo fortitudinem meam, quam Christum esse non dubium est, et de qua legimus: Christus Dei virtus et Dei sapientia (I Cor. I, 24), ut ipsa mihi pacem faciat, et mundum reconciliet? Juxta LXX hic est sensus, ut ex persona accipiamus Ecclesiae: Ego civitas firma, civitas multis vallata hostibus, quae frustra dedi pocula inimicae meae Synagogae. Capietur enim nocte, et corruet murus ejus, nullaque erit de adversariis potestatibus, quae non apprehendat eam. Rursum loquar: Quid mihi prodest custodire eam, quae stipulam in se habeat, non frumenta: quae ita inculta est, ut veprium plena sit et spinarum, quam salvare volui? Sed quia hostiliter mecum agit, recessi ab ea. Dixeruntque in me et ex me nati Apostoli: Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes (Act. XIII, 46). Idcirco faciet Dominus quod minatus est, ut omnes in ea ardeant Romano igne circumdati. Vel certe ardeant vitiis atque peccatis, ne possint ardentia diaboli jacula

restinguere. Omnes enim adulterantes quasi clibanus corda eorum. Et illi qui prius habitabant in ea, postquam clamaverint, capta est civitas atque succensa, dimittent eam, et reconciliantes mundum [Al. immundum] Deo, dicent: Faciamus pacem illi, pacem faciamus ei, hoc est, Christo, semper scribentes in Epistolis suis: Gratia vobiscum et pax a Deo Patre et Christo Jesu Domino nostro (I Cor. I, 3). De quibus in hoc eodem Propheta legimus: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem (Isa. LII, 7)! Quidam hunc locum ad Ecclesias referunt, quod custodiantur quidem a Deo; sed multi in eis fructus non faciant; et propterea boni doctoris succedantur ardoribus, ut clamitent et confiteantur errorem suum, et postea pacem faciant Deo, qui vere appellentur filii Jacob.

## (Vers. 6.)

Qui egrediuntur de radice Jacob, florebit et germinabit Israel: et implebunt faciem orbis semine.

LXX: Qui veniunt filii Jacob: germinabit et florebit Israel: et implebit orbem terrarum fructus ejus. Postquam Apostoli in toto orbe Evangelium praedicantes, dixerint: Faciemus pacem Christo, pacem faciemus ei, qui in excelsis fuerint de semine Jacob, et in Apostolicam pervenerint dignitatem, appellabuntur filii Jacob. Tunc germinabit et florebit Israel, videns doctrina filiorum suorum universum orbem esse completum, et attulisse fructus uberrimos, quos in Judaea manens non attulerat.

## (Vers. 7.)

Numquid juxta plagam percutientis se, percussit eum: aut sicut occidit interfectos ejus, sic occisus est?

Locus iste dupliciter intelligitur. Aut contra Jerusalem, ut dicat eam non ita a Deo esse percussam, ut

ipsa percussit Christum et Apostolos ejus: aut contra gentium multitudinem, quod illis persequentibus et effundentibus sanguinem Christianum, Apostoli et apostolici viri nihilominus salutis eorum curam habuerint et reconciliaverint eos Deo.

## (Vers. 8.)

In mensura contra mensuram cum abjecta fuerit, judicabis eam.

LXX: Rixans et exprobrans emittet eos. Juxta Hebraicum hic sensus est: Sicut fecit Jerusalem, sic recipiet, et juxta mensuram qua mensa est, remetietur ei. Tuncque cumulatam mensuram recipiet, quando judicii tempus advenerit et abjecerit eam Deus. Juxta LXX pendet ex superioribus quod dicitur. Non enim Israel sicut percussit, percutietur; nec sicut interfecit, interficietur. Qui jurgabat contra Apostolos, et exprobrabat doctoribus suis, et praecipiebat ne in nomine Christi loquerentur. Propterea Dominus abjiciet eos, et de suo expellet grege.

Meditatus est in spiritu suo duro per diem aestus. LXX: Nonne tu eras qui meditabaris spiritu duro interficere eos, spiritu furoris? Juxta Hebraicum hoc dicitur, in mensura qua mensa est, Jerusalem recipiet: propterea Deus in spiritu suo duro atque vehementi meditatus est, sive locutus contra eam in die aestus, hoc est, in persecutionis tempore, quando ardentior indignationis dies est atque poenarum. Juxta LXX, ad ipsam dicitur Jerusalem, sive ad Israel: Nonne tu eras quae in spiritu tuo durissimo atque crudeli, et in furore blasphemiarum tuarum, Apostolos Domini atque doctores interficere cupiebas?

## (Vers. 9.)

Idcirco super his dimittetur iniquitas domui Jacob, et iste omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus: quia posuit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos: non stabunt luci et delubra.

LXX: Propterea auferetur iniquitas Jacob, et haec erit benedictio ejus cum abstulero peccatum ejus, quando posuerit omnes lapides ararum contritos quasi cinerem comminutum, et non perseverabunt arbores eorum, et idola. Causas reddit cur postquam Judaei in Dominum miserint manus, veniam consequantur, si voluerint agere poenitentiam, ut impleatur Salvatoris oratio: Pater, ignosce eis; quod enim faciunt, nesciunt (Luc. XXIII, 34). Propterea, inquit, dimittetur iniquitas domui Jacob, et auferetur peccatum ejus, ut mereatur benedictionem Dei, qui sibi maledictionem fuerat imprecatus, dicens: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (Matt. XXVII, 25). quia per Apostolos de stirpe Israel in toto orbe Evangelium seminabitur, et destruetur idololatria, et comminuentur arae usque ad pulverem, succidentur luci, delubra corruent, et Dei unius sub mysterio Trinitatis notitia praedicabitur.

## (Vers. 10.)

Civitas enim munita desolata erit: speciosa relinquetur, et dimittetur quasi deserta. Ibi pascetur vitulus, et ibi accubabit et consumet summitates ejus.

LXX: Idola eorum succidentur, quasi lucus, et longe habitans grex dimittetur sicut grex derelictus, et erit multo tempore in pascua, et ibi requiescent greges, et post multum tempus non erit in ea omne viride, quia exsiccatum est. Jerusalem civitas quondam firma atque munita, quia non suscepit patrisfamilias, filium sed dixit: Venite, occidamus eum, quia iste haeres est et nostra erit haereditas (Matth. XXI, 38), desolata erit. Et quae quondam fuit speciosa, de qua et in Ezechiele dicitur:

Similam, et mel et oleum comedisti, et speciosa facta es vehementer nimis (Ezech. XVI, 13), et in qua habitat ille de quo scriptum est: Speciosus forma prae filiis hominum (Ps. XLIV, 3), relinquetur et dimittetur quasi desertum, dicente Domino ad Apostolos: Surgite, abeamus hinc (Joan. XIV, 31). Ibi pascetur vitulus, Romanus exercitus, de quo et in alio loco sub nomine apri dictum est: Vastabit eam aper de silva: et singularis ferus depastus est eam (Psal. LXXIX, 14). Et ibi accubabit et consumet summitates ejus sub metaphora vineae et propaginum ejus, ut nihil in ea viride, nihil remaneat flagellorum, sed omnia consumat inimicus. Juxta LXX, quia non receperunt pastorem bonum: propterea erunt quasi grex derelictus, et patebunt morsibus bestiarum; et nihil in eis viride remanebit, quia siccitas omnia possidebit.

## (Vers. 11.)

In siccitate messis illius conterentur mulieres venientes et docentes eam. Non est enim populus sapiens: propterea non miserebitur ejus qui fecit eum: et qui formavit eum, non parcet ei.

LXX: Mulieres venientes a spectaculo, venite: non est enim populus habens intelligentiam; propterea non miserebitur eorum qui fecit eos; et qui formavit eos, non parcet. Hoc quod dicitur, In siccitate messis illius conterentur, pro quo Septuaginta interpretati sunt, non erit in ea quidquam viride, quia exaruit, juxta Hebraicum sequentibus copulatur; juxta LXX, priori sensui. Dicamus ergo primum juxta Hebraicum. Cum siccitatis et messionis Jerusalem, et ut apertius loquar, vastitatis tempus advenerit, de toto orbe synagogarum turba concurret, ut plangant Jerusalem et mala illius consolentur. Sive aperte de mulieribus loquitur, quae nudatis pectoribus, sanguinantes feriunt lacertos, et implebitur Domini vaticinium: Filiae Jerusalem, nolite me flere, sed plangite super vos et super filios vestros (Luc. XXIII, 28).

Magnaque infelicitas populi, a mulieribus lamentationis carmina discere; sicut reprehensio fuit populi Israel, quando in Judicum libro (Judic. IV), in manu mulieris Debborae fecit salutem Dominus, et tempore vicinae captivitatis, tacentibus viris, Holda mulier prophetavit (IV Reg. XXII). Propterea autem mulieres longo conterentur itinere, imbecillitate, fame et squalore confectae, et docebunt populum miserabilem, quia non est populus sapiens, nec intellexit Creatorem suum, qui neglectus ab eis atque contemptus non miserebitur facturae, et non parcet creaturae suae. Juxta LXX, de Maria dicitur Magdalene, et alia Maria, et caeteris mulieribus, quae primum viderunt Dominum resurgentem, et tenuerunt pedes ejus, et ab eo audire meruerunt: Nolite timere: Ite, nuntiate fratribus meis ut vadant in Galilaeam, et ibi me videbunt (Matt. XXVIII, 10). De istis mulieribus multo priusquam nascerentur, propheticus sermo praenuntiat, et vocat eas a spectaculo Dominicae Passionis et Resurrectionis, ut Evangelium praedicent, et, juxta Hebraicum, doceant Jerusalem sive terram Israel, quod iste sit Dominus et Deus. Populo enim Israel non habente sapientiam illo tempore, quando passus est Dominus, et impletum est vaticinium prophetale: Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus (Psal. XI, 1). Et: Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (Ps. XIII, 4), vocantur mulieres de spectaculo, ut quod ipsae viderunt Apostolis nuntient. Israel autem de quo dictum est (Supra, I, 3): Israel non cognovit me, et populus meus non intellexit, clementissimum Creatorem et factorem suum provocavit in amaritudinem, ut nequaquam ejus misereatur. Haec pie quidem dicuntur; sed quomodo cum caeteris congruant, et consummationis mundi temporibus coaptentur, difficilis interpretatio est.

## (Vers. 12.)

Et erit in die illa, percutiet Dominus ab alveo fluminis usque ad torrentem Aegypti.

LXX: Et erit in die illa, concludet Dominus a fossa fluminis usque ad Rhinocoruram. Nisi junxisset, in die illa, per quod docemur, ea quae dicturus est superioribus copulanda, poteramus quasi proprium capituli hujus sensum exponere; nunc autem ad superiora referenda sunt omnia. Quoniam civitas munita desolata erit, et speciosa quondam relinquetur quasi desertum, et ibi vitulus accubabit, et consumet propagines vineae, et omnia siccabuntur, quoniam non est populus habens intellectum, et propter stultitiam ejus, nullam a Creatore suo misericordiam consecutus est. Idcirco percutiet, sive concludet Dominus ab alveo vel rivo fluminis usque ad torrentem Aegypti, ut in universa Judaea, quae quondam repromissionis terra fuit, nullus reperiatur sermo doctrinae, nihil scientiae Scripturarum, de quibus et Apostolus loquitur: Ut non attendamus Judaicis fabulis et mandatis hominum, qui avertuntur a veritate (Tit. I, 14); et iterum: Sunt enim multi et non subditi ac vaniloqui, et seductores, quos oportet redarguere, praecipue ex circumcisione (Ibid., 10). Alveum autem, sive rivum fluminis juxta historiam Euphratem possumus dicere, sicut et in septuagesimo primo psalmo scriptum est: Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad finem, orbis terrae (Psal. LXX, 8). Alii Jordanem putant. Et hoc notandum, quod in Judaeae terminis, fluvius appelletur; in Aegypti finibus, torrens, qui turbidas aquas habet, et non perpetuas. Pro torrente Aegypti, LXX Rhinocoruram transtulerunt, quod est oppidum in Aegypti Palaestinaeque confinio, non tam verba Scripturaram, quam sensum verborum exprimentes. Quod autem nos diximus, percutiet, pro quo LXX --- id est, concludet, transtulerunt: Aquila et Theodotio, --- interpretati sunt, quod sive virga percutiet, sive ad virgam recensebit numerum gregis sui, intelligi potest: ut non in malam, sed in bonam partem accipiatur.

Et vos congregabimini unus et unus, filii Israel. LXX: Vos autem congregate unum et unum, filios Israel. O filii Israel, pro quo interpretatus est Symmachus, domus Israel: percussis adversariis vestris a rivo fluminis, usque ad torrentem Aegypti, id est, ab Euphrate usque ad Nilum, vos vel ipsi congregabimini ad fidem Domini unus et unus, quia Judaeorum turba non credidit, per quod significat, paucos ex Judaeis in Salvatorem Dominum credituros. Vel certe, o Apostoli et apostolici viri, Judaeorum multitudine non credente, vos de toto orbe, quos potueritis, quasi oves morbidas referte ad caulas Domini, et congregate eas cum gentium populo, ut impleatur illud, quod Paulus Apostolus et Barnabas loquuntur ad Judaeos: Vobis quidem primum oportebat annuntiare verbum Dei; sed quia indignos vos judicastis salute, ecce convertimur ad gentes (Act. XIII, 46).

## (Vers. 13.)

Et erit in die illa: clangetur in tuba magna; et venient qui perditi fuerant de terra Assyriorum, et qui ejecti erant in terram Aegypti: et adorabunt Dominum in monte sancto in Jerusalem.

LXX: Et erit in die illa, canent tuba magna; et venient qui perierant in regione Assyriorum, et qui perierant in Aegypto: et adorabunt Dominum super montem sanctum in Jerusalem. In hoc loco Judaei cassa sibi vota promittunt, quod in consummatione mundi, quando Antichristus, ut dicitur --- suus venerit, de Assyriis et de terra Aegypti dispersus populus congregetur, et veniat in Jerusalem, et aedificato templo, adoret Dominum Deum suum. Quod secundum litteram omnino stare non potest. Neque enim de Assyriis tantum et de Aegypto, sed de toto orbe terrarum, qui in Christum credituri sunt, vocabuntur. Ergo hoc significat, quod in novissima tuba, juxta Apostolum Paulum (I Cor. XV), omnes qui perierant

in Assyriis et in Aegypto ad Dominum veniant: Nec dixit omnes filios Israel, sed omnes qui perierant, per quod significat gentium multitudinem, quod et idololatriae, et magicis, ac philosophiae artibus obligati, veniant ad fidem Christi, et adorent eum in Ecclesia. Tuba autem magna potest intelligi sermo Evangelicus, de quo et in hoc eodem Propheta legimus: Super montem excelsum ascende, qui evangelizas Sion: exalta vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem (Infra, XL, 9). Mons ergo sanctus et Jerusalem illa est, de qua saepe diximus: Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem, et multorum Angelorum millia; et Ecclesiam primitivorum, qui scripti sunt in coelis (Hebr. XII, 22). Hucusque de consummatione mundi dictum est ab eo loco in quo exponere coepimus: Ecce Dominus dissipabit terram, et nudabit eam (Supra, XXIV, 1), quod praesenti volumine continetur. Nunc adjuvante, immo inspirante nobis Christo, transeamus ad nonum, quod alterius prophetiae habebit exordium.

## LIBER NONUS.

Variis molestiis occupati, explanationes in Isaiam prophetam per intervalla dictamus. Unde expleto octavo volumine, nunc post aliquantum temporis spatium transimus ad nonum: non absque morsu et obtrectationibus invidorum, qui ignorantes quid audiant, quid loquantur, de eo audent judicare quod nesciunt, et ante despiciunt quam probent, eruditosque se aestimant et disertos, si de cunctis Scriptoribus detrahant. Quorum livorem et mussitationem garrulam contemnentes, Dei poscamus auxilium, et Psalmistae imprecatione dicamus: Dissipa gentes quae bella volunt (Ps. LXVII, 32). Domini enim locus in pace est, quae exsuperat omnem sensum. Quam et Propheta desiderat clamitans: Domine Deus noster, pacem da nobis: omnia enim reddidisti nobis (Isai. XXVI, 12). Sed jam proponamus Isaiae capitulum, et cum Moyse ingrediamur nubem et caliginem, ut clarificetur

vultus noster, et, juxta Hebraicum, cornuta sit facies: audianturque et rutilent tonitrua et fulgura, quae plebs vilior videre non potuit (Exod. XIX).

## (Cap. XXVIII.---Vers. 1.)

Vae coronae superbiae ebriis Ephraim, et flori decidenti gloriae exsultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguissimae, errantes a vino. Ecce validus et fortis Domini, sicut impetus grandinis turbo confringens; sicut impetus aquarum multarum inundantium et emissarum super terram spatiosam. Pedibus conculcabitur corona superbiae ebriorum Ephraim. Et erit flos decidens gloriae exsultationis ejus, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum ante maturitatem autumni, quod cum aspexerit videns, statim ut manu tenuerit, devorabit illud.

LXX: Vae coronae injuriae mercenarii Ephraim: flos cadens de gloria super verticem montis pinguis, qui ebrii estis absque vino. Ecce fortis et durus furor Domini, sicut grando quae fertur in pronum, non habens umbraculum, quae violenter decidit sicut aquarum multitudo trahens humum, et faciens sibi spatium: manibus et pedibus conculcabitur corona injuriae mercenarii Ephraim. Et erit flos qui decidit de spe gloriae in summitate montis excelsi, sicut praematura ficus, quam qui viderit, antequam sumat manu, cupiet eam devorare. Dicamus primum juxta historiam, deinde juxta tropologiam, et ad extremum juxta vaticinium prophetale. Loquitur sermo divinus adversum decem tribus quae regnabant in Samaria, et propter Jeroboam, qui de tribu Ephraim fuit, appellabantur Ephraim. Et vocat eos coronam superbiae: quia comparati duabus tribubus, quae appellabantur Juda, sublimiores erant et numero et robore. Ebriosque eos dicit Ephraim, qui suum non intelligant Creatorem, sed pro Domino adorent vitulos aureos in Dan et Bethel. Isti quondam in flore fuerunt Domini, et in gloria, quando regebantur a David et Salomone, et in duodecim tribubus

erant adorantes Deum in templo Jerusalem, qui fuerunt in vertice vallis pinguissimae, quod Hebraice dicitur GESEMANIM. Siginificat autem locum ubi traditus Dominus est; super cujus vallis verticem templum Domini situm est. Isti inebriati sunt vino erroris et amentiae, quod eis miscuit Jeroboam. Quapropter poenam illis Dominus comminatur, quod sicut grandinis turbo universa confringit, et impetus aquarum inundantium quidquid obvium invenerit, rapit: sic ab Assyriorum deleantur exercitu, et quod reliquum fuerit, in montes sive urbes Mediae transferatur. Comparat autem gloriam decem tribuum coronae variorum florum, quae tantam habuerit pulchritudinem, ut quomodo si quis antequam aestas veniat et autumnus, --- ficum videns in arbore, statim ut manu tenuerit, devorat: sic et decem tribus cum Assyrius viderit, vastet et devoret, et nihil omnino pristini populi relinquat in Samaria. Hoc breviter juxta historiam dictum sit. Transeamus ad allegoriam. Secundum expositionem Osee prophetae, in quo Ephraim et Joseph et Samariam et decem tribus, quae scissae sunt a corpore duodecim tribuum, et templum Domini reliquerunt, retulimus ad haereticos, qui vere juxta Septuaginta editionem, corona injuriae sunt, Dominum blasphemantes, et omnia mercedis causa faciunt, et de gloria Domini conciderunt: nec sequuntur tenuitatem mannae, et humilitatem Ecclesiasticam; sed in monte pinguissimo versantur ebrii absque vino. Propterea fortis et durus furor Domini, qui eos puniturus est, grandini praecipiti, quae non in tecta, sed in capita mortalium ruit, et multarum aquarum inundationibus comparatur, quae quidquid obvium invenerint, trahunt. Haec corona injuriae, mercenarii appellantur Ephraim, qui juxta Apostolum turpis lucri gratia, de flore et spe ac gloria pristinae fidei corruerunt, et versantur in superbia, et dulcissimus cibus diaboli sunt, qui eos quotidie devorat (I Pet. V). Secundum prophetiam illud possumus dicere, quod coronam injuriae vocet Scribas et Pharisaeos, qui Dominum blasphemabant. Et appellabantur mercenarii Ephraim, propter Judam, qui de

tribu Ephraim et de vico ejusdem tribus Iscarioth, Dominum pretio vendidit, qui vere flos apostolicae gloriae cecidit super montem pinguissimum, de quo dictum putamus: Manducavit et bibit Jacob, et saturatus est, et impinguatus, et recalcitravit dilectus (Deut. XXXII, 15). Sive juxta Hebraicum: super vallem pinguium, id est, Gessemanim: in qua etiam nomen loci significatur, in quo Judas Dominum tradidit. Vallis autem pinguis, sive pinguium dicitur, propter ubertatem, et Scribas et Pharisaeos qui ibi Dominum comprehenderunt: de quibus in psalmo scriptum est: Tauri pingues obsederunt me (Ps. XXI, 13). Haec vallis pinguium, id est, Gessemanim, in hoc capitulo secundo appellatur; et miror quomodo LXX primum eam dixerint montem pinguem, et postea montem excelsum. Ebrius autem fuit proditor non vino, sed avaritia et furore aspidum insanabili, et diaboli cibo, qui post buccellam intravit in eum (Joan. XIII), et penitus devoratus est, quia oratio ejus versa est in peccatum, et ne poenitentia quidem ejus fructum salutis habuit. Verbum Hebraicum SACCHORE ambiguum est, et vel ebrios, vel mercenarios sonat. Unde et Issachar interpretatur, est merces: et SACHAR id est, ebrietas: caeterique ebrios: soli LXX mercenarios transtulerunt.

## (Vers. 5 seqq.)

In die illa erit Dominus exercituum, corona gloriae, et sertum exsultationis residuo populi sui, et spiritus judicii sedenti super judicium, et fortitudo revertentibus de bello ad portam. Verum hi quoque prae vino, nescierunt et prae ebrietate erraverunt, sacerdos et propheta nescierunt: prae ebrietate absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate: nescierunt videntem, ignoraverunt judicium, sive mirabiliter. Omnes enim mensae repletae sunt vomitu, sordiumque, ita ut non esset ultra locus.

LXX: In die illa erit Dominus Sabaoth corona spei, quae compacta est gloriae reliquiis populi. Relinquentur in spiritu judicii super judicium, et fortitudinem vetans interficere. Isti enim vino decepti sunt: errant propter siceram; sacerdos et propheta exciderunt mente propter siceram; absorpti sunt propter vinum, vacillaverunt, hoc est, phasma; maledictio comedet hoc consilium: siquidem istud consilium propter avaritiam est. Postquam omnis terra Samariae, id est, decem tribuum Assyrio fuerit inundante deleta, et conculcata pedibus corona superbiae ebriorum Ephraim, et in modum ficus temporaneae devorata: tunc residui populi Israel, hoc est duarum tribuum, Judae et Benjamin, ipse Dominus erit corona victoriae; et spiritus judicii sedenti super judicium, haud dubium quin Ezechiae regi Judae; et fortitudo eorum, qui cuncta regione populata, de praelio revertentes, se urbe clauserunt. Quod in hoc eodem propheta lecturi sumus (Infra XXXVII), quando centum octoginta quinque millia armatorum de Assyriorum exercitu Angelo percutiente deleta sunt. Verum hi quoque, id est, Judas et Benjamin, inebriati sunt vino idololatriae, et contempta religione templi, daemonum simulacra venerati, et nescierunt videntem Dominum, qui cuncta considerat. Omnes enim mensae eorum, et universa religio repletae sunt vomitu sordiumque, ut non solum in templo, sed in vertice montium, et nemorosis locis idololatriae sordibus cuncta complerent, et Dominus in eis non haberet habitationis locum. Hoc juxta litteram dictum sit. Porro juxta tropologiam, priorem sequamur intelligentiam, nec intactos LXX Interpretes relinquamus. Haereticis enim ore diaboli devoratis, qui montem superbiae pinguissimum conscenderunt, Dominus erit corona gloriae, his qui in Ecclesia commorantur, et ad multitudinem plurimorum errantium comparati, parvi sunt numero. Erit autem in spiritu judicii super judicium: quia lavabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion spiritu judicii. Si quis autem sanguinem habuerit, nequaquam spiritu judicii, sed combustionis igne purgabitur, eritque

populo fortitudo, et prohibebit eum interfici ab his qui vino draconum inebriati sunt, et erraverunt propter siceram. Saepe diximus esse vinum, quod de vineis fit. Siceram autem omnem potionem, quae inebriare potest, et statum mentis evertere, quam proprie Aquila ebrietatem transtulit, sive illa frumento, sive hordeo, sive millio, pomorumque succo, et palmarum fructu, et alio quolibet genere conficiatur. Igitur sacerdotes et prophetae haereticorum exciderunt mente propter siceram, et absorpti sunt propter vinum, quales fuerunt Prisca et Maximilla earumque princeps Montanus: et quid dicerent, nesciebant. Vino inebriantur, quando Scripturas sanctas male intelligunt, atque pervertunt. Sicera, quando saeculari abutuntur sapientia et dialecticorum tendiculis, quae non tam vincula sunt appellanda, quam phantasmata, id est, umbrae quaedam et imagines, quae cito pereunt atque solvuntur. Istius modi consilium maledictio possidebit, qui quaestum putant esse pietatem, et cuncta faciunt propter avaritiam. De hoc phasmate et Apostolus loquebatur: Attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium (I Tim. IV, 1, 2). Tertia explanatio est, quod postquam Dominus Scribas Pharisaeosque subverterit, et socium eorum Judam proditorem, qui ab initio fur fuerat, loculos enim pecuniae pauperum ipse portabat (Joan. XII et XIII): tunc sit in spem et in gloriae coronam his qui de Judaeis in Dominum crediderint, haud dublum quin apostolos significet, quos ad praedicationem Evangelii reservarit, et non statim permiserit pro Christo sanguinem fundere. Omnes enim Scribae et Pharisaei vino et sicera, de quibus supra diximus, inebriati sunt, tam sacerdotes quam pseudoprophetae. Sed tendiculae eorum atque insidiae fuere pro nihilo, quia et Judas ipse qui prodidit, fecit propter pecuniam, et sacerdotes qui proditorem pecunia corruperunt propter metum abjectionis suae. Ipse enim flagellum de funiculis faciens, ejecit de templo eos qui vendebant boves et oves, et cathedras vendentium columbas, et nummulariorum mensas sua

auctoritate subvertit, dicens ad eos: Scriptum est: Domus Patris mei, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam domum negotiationis, sive speluncam latronum (Matth. I, 13). Juxta anagogen illud Hebraicum, in quo diximus: Omnes enim mensae eorum repletae sunt vomitu sordiumque, ita ut non sit ultra locus, ad haereticos, et Scribas, ac Pharisaeos sic referri potest, ut universam doctrinam eorum et cuncta mysteria dicamus vomitu plena et sordium, dum scripturarum sanctarum non digerunt cibos, nec universo corpori faciunt esse vitales; sed immaturos et fetentes egerunt, ita ut nullum in eis Deus reperiat locum. Miror autem quid voluerit Theodotio, ut pro verbo Hebraico quod dicitur, CISOA, pro quo Aquila interpretatus est, vomitum sordium, et Symmachus tantum vomitum, ille diceret, --- , id est, vomitum dysaliae, quod verbum ubi apud Graecos lectum sit, invenire non potui, nisi forte novae rei novum finxerit nomen. Siquidem et apud Hebraeos compositum est, quia vomitus dicitur CI et SOA sordes. Quidquid igitur nauseam facit et vomitum, --- appellari potest.

## (Vers. 10 seqq.)

Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus: quia manda, remanda; manda, remanda; exspecta, reexspecta; exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi. In loquela enim labii et in lingua altera loquetur ad populum istum, cui dixit: Haec est requies mea; reficite lassum, et hoc est meum refrigerium, et noluerunt audire. Et erit eis verbum Domini: manda, remanda; manda, remanda; exspecta, reexspecta; exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi; ut vadant et cadant retrorsum, et conterantur, et illaqueentur et capiantur.

LXX: Cui annuntiabimus mala, et cui annuntiabimus nuntium? qui ablactati sunt a lacte: qui abstracti ab ubere. Tribulationem super tribulationem exspecta;

praestolare spem super spem; adhuc parum, adhuc parum: propter irrisionem labiorum, propter linguam alteram qua loquentur populo huic dicentes eis: Haec est requies esurienti, et haec contritio, et noluerunt audire. Et erit eis sermo Domini: Tribulatio super tribulationem: exspecta, exspecta; spes super spem: adhuc parum, adhuc parum; ut vadant et cadant retrorsum, et conterantur, et periclitentur, et capiantur. Quis, inquit, dignus est doctrina Domini, qui verbis Salvatoris dicentis: Qui habet aures audiendi audiat (Matth. XII, 15): ut quod auribus hauserit, corde intelligat? Quinam illi sint, sequens versus ostendit: Ablactati a lacte, avulsi ab ubere, qui nequaquam lacte nutriuntur infantiae, sed solido vescuntur cibo; qui avulsi sunt ab ubere cum Isaac: propter quam laetitiam fecit Abraham grande convivium (Genes. XXII); hi merentur Domini audire mysteria, et intelligere quae sacerdos et propheta nesciunt, inebriati et absorpti a vino, qui erraverunt et nescierunt videntem, quia omnes mensae eorum repletae sunt vomitu sordiumque, qui prophetis ventura annuntiantibus, et nisi fecissent quae praecepta erant, tormenta minitantibus, solebant dicere subsannantes: Manda, remanda; manda, remanda, id est, praecipe, praecipe, impera quae facere debeamus. Cumque abuterentur Dei patientia, qui differt iram, ut praebeat misericordiam: qui solebant etiam hoc ex persona prophetarum ludentes dicere: Exspecta paulisper, exspecta modicum, venient quae futura praediximus. Haec autem universa loquebantur in populo, quia Dei sermonibus non credebant; statimque infert propheta: Nequaquam vobis Deus his verbis loquetur, ut praecipiat quid facere debeatis, et praestolemini quae ventura sunt, sed loquetur vobis in furore praesenti, qui prius dixerat ad populum: Haec est requies mea, reficite lassum, multo tempore laboravi, in nullo inveni requiem. Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet (Matth. VIII; Luc. IX). Et hoc est meum refrigerium, ut in vobis aliquando requiescam. Qui noluerunt audire, et mea

monita contempserunt; quamobrem quod solebant ludentes dicere prophetis: Manda, remanda; manda, remanda: exspecta, reexspecta; exspecta, reexspecta: modicum ibi, modicum ibi, et irridere patientiam meam, cum me arbitrantur minitari, quae numquam facturus sim: sentiant rebus expleri, ut vadant in interitum, et cadant retrorsum --- insanabili; numquamque ad priora proficiant, nec possint cum Apostolo dicere: Praeteritorum obliti, ad ea quae priora sunt extendimur (Phil. III, 13); sed conterantur et illaqueentur, et vel a Babylonio, vel a Romano capiantur exercitu. Pro eo quod nos diximus: Manda, remanda; manda, remanda: exspecta, reexspecta; exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi, in Hebraeo sic scriptum est: SAU LASAU, SAU LASAU; CAU LACAU, CAU LACAU: ZER SAM, ZER SAM; hisque verbis abuti solet immundissima haeresis apud simplices quosque atque deceptos, ut terrorem faciat novitate sermonum, quod scilicet qui haec verba cognoverit, et in coitu eorum meminerit, absque ulla dubitatione transeat ad regna coelorum. Legimus in Apostolo: In aliis linguis, et in labiis aliis loquar populo huic, et nec sic exaudient me, dicit Dominus (I Cor. XIV, 21). Quod mihi videtur juxta Hebraicum de praesenti sumptum capitulo; et hoc in veteri observavimus Testamento (absque paucis testimoniis, quibus Lucas solus abutitur qui magis Graecae linguae habuit scientiam), ubicumque de veteri instrumento quid dicitur, non eos juxta Septuaginta, sed juxta Hebraicum ponere, nullius sequentes interpretationem, sed sensum Hebraicum eum suo sermone vertentes, Symmachus, Theodotio et LXX de hoc loco diversa senserunt, et quia longum est de omnibus dicere, LXX Interpretes, qui leguntur in Ecclesiis, breviter transcurramus. Rejecto populo Judaeorum, Sacerdotibus et Prophetis, qui inebriati sunt sicera, et erraverunt et maledictio comedit consilium eorum, quod inierunt propter avaritiam, cui annuntiabimus futuras pro Christo tribulationes? cui mala pro quibus paratur corona virtutum? Utique his qui ablactati sunt a lacte, qui avulsi

sunt ab ubere, haud dubium quin apostolos significet: Tribulationem super tribulationem exspecta. Loquitur autem ad chorum apostolorum omniumque credentium, ut non ad unam, sed ad multas se paret tribulationes, ut cum tribulatus fuerit atque depressus, rursum speret, et spem super spem habeat. Quod si paululum tardaverint quae promissa sunt, non sit incredulus: Modicum enim parvulumque et venient quae promissa sunt. Etenim tribulatio patientiam operatur; patientia probationem: probatio spem; spes autem non confundit (Rom. V, 3, 4, 5). Et haec ipsa tribulatio geminabitur detractione labiorum, et blasphemiis persequentium, quibus adversus Dei populum rabido ore desaeviunt. Porro apostoli et apostolici viri loquentur ad populum Judaeorum, dicentes: Haec est requies esurienti justitiam, et haec contritio et angustia quae ducit ad vitam. Illis haec praedicantibus, audire impii noluerunt. Unde hoc quod ad Dei populum dicebatur: Tribulationem sustine, tribulationem sustine; exspecta spem, exspecta spem: adhuc modicum, adhuc modicum, illis vertetur in poenam, qui audire sermonem Domini noluerunt, ut corruant et vadant retrorsum, et in periculum obsidionis ac mortis incurrant, et absque ullo miseriarum fine capiantur. Quod autem verbum Hebraicum DEA, quod omnes verterunt, scientiam, soli Septuaginta mala interpretati sunt, error perspicuus est. Prima enim littera DALETH, vel RES parvo apice distinguuntur. Si ergo legatur DEA, scientiam sonat; si REA, malitiam; non a malo, quod contrarium bono est, sed ab angustia.

## (Vers. 14, 15.)

Propter hoc audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Jerusalem. Dixistis enim: Percussimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus pactum: flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.

LXX: Propterea audite verbum Domini viri, tribulati et principes populi hujus, qui est in Jerusalem: Quia dixistis: Fecimus testamentum cum inferno, et cum morte pactum: tempestas transiens si irruerit, non veniet super nos, quoniam posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protegemur. Quod supra diximus cum irrisione solitos principes Judaeorum Prophetis dicere: Manda, remanda; exspecta, reexspecta, et caetera his similia, per quae ostenditur nequaquam eos Prophetarum credidisse sermonibus, sed prophetiam eorum habuisse despectui: praesens ostendit capitulum, per quod appellantur viri illusores. Sunt autem Scribae et Pharisaei qui dominantur super populum Dei in Jerusalem, quos LXX vocant viros tribulatos, et principes populi Jerusalem. Dixerunt enim non sermone, sed opere: Sumus sicut et caeterae nationes: habemus pactum et foedus cum inferno et cum morte: semel salutem desperavimus. Certe captivitas longo post tempore ventura est, dicentibus vobis: Adhuc modicum, adhuc modicum: exspecta, rursus exspecta. Ergo cum mortui fuerimus, hoc flagellum captivitatis et hanc tempestatem non sentiemus. Semel enim mendacio credidimus, hoc est, frustra spem habuimus in Deo et in Lege ejus. Et ideo mendacio protecti sumus, quia mortui imminentem captivitatem declinavimus. Verbum Hebraicum SOT, Aquila et Symmachus, flagellum, LXX tempestatem interpretati sunt; CHASAB quoque omnes mendacium transtulerunt, in quo speraverunt Judaei, cujus juxta Evangelistam Joannem, pater est diabolus.

## (Vers. 16 seqq.).

Idcirco haec dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, fundatum fundamine: qui crediderit, non festinet. Et ponam judicium in pondere, et justitiam in mensura: et subvertet grando spem mendacii, et protectionem aquae inundabunt. Et delebitur foedus

vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit; flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem. Cum pertransierit, tollet vos: quoniam mane diluculo transibit in die et in nocte, et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui: Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat: et pallium breve utrumque operire non potest. LXX: Propterea sic dicit Dominus: Ecce ego immittam in fundamenta Sion lapidem pretiosum, electum, angularem, honorabilem in fundamenta ejus; et qui crediderit, non confundetur. Et ponam judicium in spem: misericordiam autem meam in pondere, et qui credunt frustra mendacio, quoniam non transibit per nos tempestas, et non auferet nobis testamentum mortis, et spes vestra ad infernum non permanebit. Tempestas veniens si transierit, eritis ei in conculcationem: cum transierit, tollet vos mane, mane pertransiet: die et nocte erit spes pessima. Discite audire qui estis in tribulatione: Non possumus pugnare, ipsi autem infirmi sumus ut congregemur. Dixeram, inquit, vobis: Audite verbum Domini, viri illusores, sive tribulati principes populi mei, et nolite foedus habere cum morte, nec pactum cum inferno, qui contemnentes praecepta mea, posuistis mendacium spem vestram, et gloriantes, immo desperantes dicitis: mendacio protegemur. Idcirco misericors et miserator Dominus, patiens et multum misericors (Ps. CXLIV), nolentibus vobis, in fundamenta Sion lapidem electum, et probatum, et pretiosum, et angularem missurum esse se dicit. De quo et Apostolus loquitur: Quasi sapiens architectus fundamentum posui (I Cor. III, 10); et iterum: Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus (Ibid., 11). Iste lapis vere et secundo appellatur lapis, sicut et in Levitico, homo, homo bis dicitur et angularis lapis, quia Circumcisionis et Gentium populos copulavit, de quo et in psalmo dicitur: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli (Ps. CXVII, 22). Isti sunt autem aedificantes et caementarii, qui nunc appellantur viri illusores et

principes populi qui est in Jerusalem. De hoc lapide et in Daniele legimus, quod excisus sit de monte sine manibus, et impleverit universum orbem (Dan. II): eo quod divini germinis dispensatio humanum corpus assumpserit, et habitaverit in eo plenitudo Divinitatis corporaliter. Super hunc lapidem, qui alio nomine appellatur petra, Christus aedificavit Ecclesiam, et firmo, juxta Hebraicum, fundavit fundamine, in quo qui crediderit, non confundetur, sive, juxta Hebraicum, non festinet: ne videlicet tardus ei Christi videatur adventus. Si enim tardaverit juxta Abacuc, nemo desperet: quia veniens veniet, et sua promissa complebit (Abac. II). Promittit quoque Deus ponere se in eo judicium ponderis: Neque enim judicat Pater quemquam, sed omne judicium tradidit Filio (Joan. V, 22). Et justitiam sive misericordiam in mensura, ut reddat unicuique secundum opera sua, et justitiam ac misericordiam alterutro temperet, juxta illud quod et in psalmis legimus: Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax deosculatae sunt se (Ps. LXXXIV, 11). Spem quoque ait vestram atque mendacium, id est, diabolum patrem omnis mendacii, suppliciorum meorum grando subvertet. Et protectionem, sub qua vos tutos fore arbitrabamini, tempestas valida et aquarum multitudo delebit, ita ut amicitia et foedus quod habebatis cum morte et cum inferno, hoc est, cum diabolo, pereat in aeternum. Et flagellum sive tempestas, de quo dixeratis: Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos: veniet, et eritis ei in conculcationem, hoc est, omnia tormenta patiemini, quae vos putabatis desperationis animo nequaquam esse passuros. Semper enim irruet vobis, et tam in prosperis quam in adversis iram Domini sentietis, et mors vos saeva populabitur. Quid dicam de poenis? Poenarum sola formido et tormentorum metus vos corriget ad salutem, et mala vestra intelligere faciet. Cumque vexati fueritis, tunc scietis Prophetas meos vera dixisse. Quodque sequitur: Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest, illum habet sensum quem in Apostolo

legimus: Non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum. Non potestis mensae Domini esse participes, et mensae idolorum (II Cor. X, 20, 21); et alibi: Quae participatio justitiae cum iniquitate? Quae societas luci ad tenebras? Quae conventio Christi ad Belial? Quae pars fideli cum infideli? Qui consensus templo Dei cum idolis (II Cor. VI, 14, 15)? Loquitur autem sub metaphora mariti pudicissimi, qui adulterae dicit uxori: Unus lectulus me et adulterum tecum capere non potest, et pallium breve maritum et moechum cooperire non praevalet. O igitur Jerusalem, ad quam et in Ezechiel sub persona uxoris loquitur fornicantis (Ezech. XVI, 21), et quam in Osee principio scortum vocat et adulteram (Ose. III), si vis meis complexibus copulari, abjice idola: si servieris idolis, me habere non poteris. Hoc juxta Hebraicum. Porro quod in LXX legitur: Discite audire qui tribulati estis: non possumus pugnare, ipsi autem infirmi sumus ut congregemur, quem sensum habeat, et quomodo superioribus copuletur, penitus ignoro. Nisi forte ad principes populi loquatur sermo divinus, et hortetur eos, ut spem habeant in Deo, et non in morte atque inferno, et discant audire vaticinia prophetarum: illique respondeant se pro infirmitate virium adversus contrarias potestates pugnare non posse, nec inter Dei populum congregari.

## (Vers. 21, 22.)

Sicut enim in monte divisionum stabit Dominus, sicut in valle Gabaon irascetur, ut faciat opus suum, alienum opus ejus, ut operetur opus suum, peregrinum est opus ab eo. Et nunc nolite illudere: ne forte constringantur vincula vestra. Consummationem enim et abbreviationem audivi a Domino Deo exercituum super universam terram.

LXX: Sicut mons impiorum consurget Dominus, et erit in valle Gabaon, cum furore faciet opera sua, amaritudinis opus et furor ejus quasi alienis abutetur: et aliena amaritudo ejus. Et vos nolite laetari, ne

confortentur vincula vestra, quia consummatas et abbreviatas res audivi a Domino Deo Sabaoth, quas facturus est super omnem terram. Lapidem pretiosum in fundamentis Sion positurum se Dominus repromisit, ut subverteret grando mendacium et impiorum spem; foedusque cum morte et pactum cum inferno tempestas valida deleret. Quem quia suscipere illusores principes noluerunt, sicut quondam contra Allophylos, regnante David, in monte divisionum, qui Hebraice appellatur PHARASIM, Dominus concidit adversarios suos, unde et locus nomen accepit. Et sicut in valle Gabaon, sub Jesu principe, quando fiducia habitantis in se Dei locutus est: Stet sol in Gabaon, et luna contra vallem Aialon (Josue X, 12): et stetit sol spatio unius diei; multique de alienigenis perierunt: sic contra impios et illusores irascetur Dominus, ut faciat opus suum. Rursumque id ipsum aliis verbis repetit, ut operetur opus suum. Quoniam igitur de patientia sua resurrecturus est Dominus, et nequaquam parciturus: sicut non pepercit in monte Pharasim, et in valle Gabaon: moneo vos, o viri illusores, ut nequaquam rideatis de prophetis meis, et non putetis ventura quae nuntiant, ne si permanseritis in illudendo, constringantur vincula peccatorum vestrorum [Funibus enim peccatorum suorum unusquisque constringitur (Prov. V, 22)], sive captivitatis vobis tempus adveniat. Siquidem quod Dominus tempore differebat vincula, captivitatem atque supplicia, sive ultimum judicii diem, jam rebus expleturus est, et consummaturus, et abbreviaturus. Itaque ego propheta quae a Domino Deo omnipotente futura cognovi super universam terram, haec vobis nuntio, ut imminentem iram poenitentia praeveniatis. Juxta LXX ipse Dominus quasi mons impiorum dicitur surrecturus et futurus in valle Gabaon, ut faciat opera sua, quae omnia unum opus est amaritudinis: quod nequaquam videatur esse blasphemum. Non enim dicit futurum Dominum montem impiorum, sed quasi montem, qui impiis et sustinentibus videatur esse gravissimus. Quomodo si filius negligens et alter aegrotus, patrem et medicum putent

esse crudeles, si eos verberibus atque cauterio disciplinae restituant sanitati. Consurget enim Dominus et erit in valle Gabaon, propter eos qui cum ob peccata in humili consistant loco, propter tumorem animi eriguntur in superbiam. Gabaon enim, collis interpretatur: ut faciat opera sua quae sunt opera amaritudinis; quando cogitur mutare clementiam, et pro dulci, amarus efficitur. Igitur vos qui haec estis aliquando passuri, nunc nolite laetari illa laetitia qua gaudebat et dives in convivio purpuratus, et Lazarum pauperem negligens (Luc. XVI): ne forte fiant vestra vincula fortiora. Quae enim facturus est Dominus, et rebus suam sententiam completurus, haec ego et audivi, et vobis omnia nuntiavi. Quodque intulit: Supra omnem terram, juxta historiam, Judaeae terminos intellige; juxta anagogen, totius mundi.

## (Vers. 23 seqq.)

Auribus percipite et audite vocem meam: attendite et audite eloquium meum. Numquid tota die arabit arans ut serat, proscindet et sarriet humum suam? Nonne cum adaequaverit faciem ejus, seret gith, et cyminum sparget, et ponet triticum per ordinem, et hordeum, et milium, et viciam in finibus suis? Et erudiet illum in judicio; Deus suus docebit illum. Non enim in serris triturabitur gith, nec rota plaustri super cyminum circuibit; sed virga excutietur gith, et cyminum baculo: panis autem comminuetur. Verum non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustri, neque ungulis suis comminuet eum. Et hoc a Deo exercituum exivit, ut mirabile faceret consilium, et magnificaret justitiam.

LXX: Auribus percipite et audite vocem meam: attendite et audite sermones meos. Numquid tota die arabit qui arat, aut sementem praeparabit antequam praeparet terram? Numquid cum adaequaverit faciem ejus, tunc seminabit gith et cyminum, et rursum seminabit triticum, et hordeum, et milium, et far in finibus tuis, et

erudieris judicio Dei, et laetaberis? Non enim cum duritia mundatur gith, neque rota plaustri circuit super cyminum; sed virga excutitur gith, et cyminum cum pane comeditur. Neque enim in sempiternum ego irascar vobis: nec vox amaritudinis meae conculcabit vos, et haec a Domino sunt egressa portenta. Inite consilium, exaltate vanam consolationem. Ad eosdem nunc etiam loquitur, quibus supra dixerat: Audite verbum Dei, viri illusores, qui dominamini super populum meum qui est in Jerusalem: et praecipit eis, ut vocem ejus audiant, et eloquium illius diligenter attendant. Numquid, ait, agricola semper arabit, ut sementem jaciat? Nonne prius proscindet humum, et vomere sulcos revolvet, jacentesque glebas rastro franget et sarculo: ut cum adaequaverit superficiem terrae, et dura prius arva mollierit, tunc spargat gith, sive cyminum; seratque triticum, et hordeum, et milium, et far in finibus suis, juxta varietatem terrae et temporum: neque enim simul omnia seminantur. Pro farre quod Graeci --- vocant, quidam viciam intelligunt. Ipsumque agricolam, id est, satorem erudit Deus naturaliter judicio suo, et docet illum ut sciat quam cui sementi culturam adhibeat. Denique cum metendi tempus advenerit, gith et cyminum, quae infirmiora sunt semina, non rotis plaustrorum teruntur, quae in serrarum similitudinem ferreae circumaguntur et trahuntur super demessas segetes; sed virga excutiuntur et baculo, quae vulgo flagella dicuntur. Panis autem, id est, triticum de quo efficitur panis, rotis ferreis teritur, et omnis ejus stipula comminuitur in paleas. Verumtamen non semper vexatur et teritur, nec omni tempore rotarum ungulis comminuitur; pro quibus in Hebraico dicitur equis earum: ut quia ungulas rotarum dixerat, metaphoram servaret in reliquis. Quidam volunt ex eo quod ungulas et equos nominavit, ostendi equarum greges, qui ad terenda frumenta areis immitti soleant: sed non poterat Scriptura dicere, quod Judaea provincia non habebat. Hoc autem, id est, ut gith et cyminum virga excutiantur et baculo: frumentum hordeumque, et far, fortasse et milium, rotis

ferreis conterantur, non in perpetuum Dei judicium est, qui in omnibus ostendit mirabile consilium suum, et justitiae magnitudinem monstrat in cunctis. Haec --- diximus, ut facilius sensum pro quo ista dicuntur, possimus intelligere. Deus varie genus dispensat humanum, nunc punit, nunc miseretur: nunc corripit, nunc defendit; id est, nunc arat, nunc serit, nunc maturas fruges metit, et demessas in areis terit, orbemque suum gubernat ut voluerit. Gith et cyminum, id est, omnes gentes quae non receperunt ejus notitiam, nec Legis habuere praecepta, virga emendat et baculo: frumentum autem, id est, populum Judaeorum magnis torquebit suppliciis. Cui enim plus creditur, plus exigetur ab eo. Et servus, qui scit voluntatem Domini sui, et non fecerit eam, vapulabit multis (Luc. XII, 47); et in alio loco scriptum est: Potentes potenter tormenta patientur (Sap. VI, 7). Verumtamen non eos torquebit in perpetuum. Aliud enim est esse impium, aliud peccatorem. Quod nos de gentibus et Judaeis interpretati sumus, alii exponunt super populo et Sacerdotibus, quod vulgus indoctum in die judicii quasi gith et cyminum corripiatur virga et baculo; sacerdotes autem qui habuerunt clavem scientiae, magnis suppliciis torqueantur: et hoc Domini fiat judicio, qui ostendit in cunctis mirabile consilium suum et justitiae veritatem, ut qui plus acceperunt, plus exigatur ab eis. Pro eo quod nos interpretati sumus: in virga excutietur gith, et cyminum in baculo, nescio quid volentes LXX transtulerunt: cyminum autem cum pane comeditur. Denique et veteres Graeciae interpretes Hebraicum disserentes, de hoc sermone tacuerunt, quia forsitan quid dicerent non habebant. Illud autem in quo nos juxta Hebraicum posuimus: Verum non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit illum rota plaustri, nec ungulis suis comminuet eum, LXX non juxta verbum, sed juxta sensum interpretati sunt: Neque enim ego in sempiternum irascar vobis, nec vox amaritudinis meae conculcabit vos: ostendentes futura peccatoribus, post tormenta, refrigeria, et haec quasi portenta atque mirabilia egressa esse a Domino. Unde

praecipitur peccatoribus qui postea puniendi sunt, ut ineant consilium, et exaltent consolationem suam, nequaquam vanam, ut a LXX additum est, sed absolute consolationem. Numquam enim Deus praeciperet, ut exaltarent vanam consolationem suam, quae eis non erat profutura.

## (Cap. XIX.---Vers. 1, seqq.)

Vae Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David. Additus est annus ad annum, solemnitates evolutae sunt. Circumvallabo Ariel, et erit tristis et moerens; et erit mihi quasi Ariel. Et circumdabo quasi sphaeram in circuitu tuo, et jaciam contra te aggerem, et munimenta ponam in obsidionem tuam. Humiliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum, et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit. Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te, et sicut favilla pertransiens multitudo eorum qui contra te praevaluerunt. Eritque repente confestim: a Domino exercituum visitabitur in tonitruo et commotione terrae, et voce magna turbinis et tempestatis, et flammae ignis devorantis. Et erit sicut somnium visionis nocturnae multitudo omnium gentium, quae dimicaverunt contra Ariel, et omnes qui militaverunt, et obsederunt, et praevaluerunt adversus eam. Sicut somniat esuriens et comedit, cum fuerit expergefactus, vacua est anima ejus; et sicut somniat sitiens et bibit, postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, et anima ejus vacua est: sic erit multitudo omnium gentium quae dimicaverunt contra montem Sion.

LXX: Vae Ariel, Ariel civitas quam expugnavit David. Congregate genimina, annum super annum comedite, comedetis enim cum Moab: coangustabo enim Ariel, et erit fortitudo illius et divitiae mihi, et circumdabo sicut David super te: et mittam vallum in circuitu tuo, et ponam per gyrum tui turres, et humiliabuntur in terram sermones

tui: et in terram occident verba tua. Et erit sicut loquentium de terra vox tua, et usque ad pavimentum vox tua infirmabitur. Et erunt sicut pulvis de rota divitiae impiorum: et sicut favilla quae rapitur, multitudo eorum qui te oppresserunt: eritque in puncto repente a Domino sabaoth. Visitatio enim erit cum tonitru, et commotione et voce magna, tempestas valida, et flamma ignis devorans. Et erunt quomodo videntis somnium nocte, divitiae omnium gentium quae militaverunt contra Ariel: et omnes qui pugnaverunt contra Jerusalem, et universi qui congregati sunt super eam, et afflixerunt eam. Eruntque sicut qui in somnis esuriunt et comedunt: cumque surrexerint, vanum est somnium eorum, et sicut qui per somnium sitit et bibit, cum surrexerit, adhuc sitiet, et anima ejus frustra speravit: sic erunt divitiae omnium gentium quae militaverunt contra montem Sion. Pro eo quod nos interpretati sumus, Vae, in Hebraeo scriptum est OI, quod apud eos interdum vocativo casu dicitur, ut non plangat Ariel, sed vocet; licet in praesenti loco pro planctu accipiendum sit. Ariel quoque interpretatur leo Dei; et pro civitate quam Aquila interpretatus est, πολίχνην, hoc est, oppidulum, sive viculum, in Hebraeo legunt CARIATH, quod proprie villam significat, et lingua Syra dicitur Cartha, unde et villa silvarum appellatur CARIATH JARIM. Denique et in superioribus (Ad cap. I, 21) ubi legimus: Quomodo facta est meretrix civitas fidelis Sion? pro civitate, Cariath scribitur, id est, villa: quam nos ut translationem Aquilae exprimamus ad verbum, civitatulam possumus dicere. Igitur Ariel, id est, leo Dei, quondam fortissima vocatur Jerusalem: sive ut alii arbitrantur, templum et altare Dei quod erat in Jerusalem. Quodque sequitur: Quam expugnavit David, pro quo interpretatus est Symmachus, castrum David, et Theodotio, circumvallatio David, in Hebraeo legitur HANA, quod eruditissimus Hebraeorum, habitaculum significare voluit. Si igitur legerimus: quam expugnavit David, ad illud tempus referamus, quando cepit David arcem Sion, repugnantibus caecis et claudis, et primus

Joab domatum excelsa conscendit (I Paral. XI). Si autem juxta Symmachum et Theodotionem, hoc sentiendum, quod David eam instauraverit atque munierit, additus est annus ad annum, sive subtractus, ut interpretatus est Aquila; et solemnitates evolutae sunt. Subverso enim templo, et Judaica religione sublata, omnis eorum festivitas periit. Dicitque se Dominus circumvallare Ariel Babylonio exercitu, et fore eam tristem atque moerentem, quando ab eis diruta fuerit. Rursumque sub Jesu filio Josedec sacerdote magno, et Zorobabel filio Salathiel, Esdraque et Neemia, quando prophetaverunt Aggaeus et Zacharias, fore eam quasi Ariel, quod habeat antiqui templi similitudinem, sed magnificentiam ornamentumque non habeat. Secundo quoque Dominus comminatur, quod circumdet Arielem sphaera, et jaciat contra eam aggerem, et munimenta ponat in obsidionem ejus, et compleatur illud quod ipse plangens Jerusalem loquitur in Evangelio: Si scires ea quae ad pacem sunt tibi, quoniam venient dies super te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et obsidebunt te, et in terram humiliaberis (Luc. X, 42 et seqq.). Et Jerusalem erit conculcata a nationibus usque ad consummationem temporis gentium. Aliis enim verbis eadem propheta nunc dicit, quod humiliata de terra loquatur, et de humo audiatur eloquium ejus; et sit quasi pythonis de terra vox illius, et de humo instar passerum mussitet, ut per haec verba significet magorum --- per quam animas evocare dicuntur, et tenues umbrarum, immo daemonum, audire voces. Denique pro pythone, Aquila magum interpretatus est, qui Hebraice dicitur CHEB, pro quo LXX de terra loquentes, transtulerunt. Quibus verbis indicatur ruinam templi usque ad consummationem permansuram mundi, quod collapsum in cineres, nequaquam ultra suscitetur. Tantus autem, o Ariel, te Romanae potentiae vallabit exercitus, et innumerabili pulveri comparetur ut favillae per aerem volitanti. Unde non imbecillitatem eorum pulveri comparat et favillae, qui contra eos militaverunt; sed multitudinem quae arenis innumerabilibus

exaequatur. Et hoc erit repente confestim, ut in media pace, subita sub Nerone bella consurgant, et Dominus exercituum visitet Jerusalem in tonitru, et in commotione terrae, et in turbine tempestatis, et in flamma ignis devorantis, per quod templum significat comburendum. Romani autem qui, superatis Judaeis et subversa Jerusalem sub Tito et Vespasiano, de vasis quondam Dei manubias obtulerunt Capitolio; suaeque virtutis et potentiae numinum, non irae Dei putaverunt esse quod fecerant, quasi in somnio et in nocturna visione omnes divitias possidebunt. Et quomodo qui esurit dormiens in somnis se vesci putat, et qui sitit, arentibus siti faucibus flumina bibit, cumque evigilaverit ardentior sitis fit, quae cassa potione delusa est: sic multitudo universarum gentium, quae Romanae subditae potestati dimicaverunt contra montem Sion, habebunt quasi in umbra, et nube, et somnio noctis divitias, quas maturo interitu derelinquent. In eo loco ubi nos posuimus, omnes qui militaverunt et obsederunt et praevaluerunt adversus eam, LXX transtulerunt, et omnes qui militaverunt contra Jerusalem, quod in Hebraico non habetur. In principio quoque hujus capituli ubi nos diximus: Additus est annus ad annum, sive subtractus, illi interpretati sunt: congregate fructus, vel genimina, annum super annum: manducate, comedetis enim cum Moab. Et est sensus, antequam annus Domini acceptabilis praedicationis ejus adveniat, immo duo anni, de quibus in Cantico Habacuc juxta Hebraicum legimus: In medio duorum temporum cognosceris (Habac. III), seminate vobis in lacrymis, ut metatis in gaudio (Ps. CXXV). Scriptum est in Evangelio secundum Joannem, per tria Pascha Dominum venisse in Jerusalem, quae duos annos efficiunt (Joan. II, 13). Quod autem sequitur: Comedetis enim cum Moab, in Hebraico non habetur. De quo possumus dicere, quod nisi fructus sibi poenitentiae congregaverint, incipiant cum his comedere qui non ingrediuntur Ecclesiam Domini usque in aeternum. Caetera in quibus videntur discrepare, manifesta sunt: et ex his quae exposuimus, facilis eorum interpretatio est.

Scio me legisse Ariel interpretari, lux mea Dei, quod longe aliter est. Hic enim prima syllaba per ALEPH et RES scribitur: lux autem quae Hebraice dicitur OR, inter ALEPH et RES mediam habet litteram VAU, quae in praesenti nomine non habetur. Omniaque quae nunc dicuntur contra Ariel, referunt ad haereticos, qui doctrinam suam Dei aestimant lucem, et expugnandi sunt a vero David: omnesque solemnitates eorum auferendae, et gaudium praesens futura tristitia commutandum: quibus praecipiat Deus ut agant poenitentiam, ne incipiant comedere cum Moabitis, et similes esse gentilium. Ipse enim expugnabit Ariel, et omnem virtutem eorum atque divitias suo circumdabit exercitu. Turribusque, hoc est, magistris Ecclesiae humiliabit in terra sermones eorum, ut nequaquam ponant in coelum os suum, sed scribantur in terra, loquanturque de terra, et fiant quasi pulvis excussus rota: omnesque divitiae impiorum puncto et momento temporis comparentur, quando visitaverit eos in sua majestate, descendens in turbine et tempestate et igne supplicii; et intellexerint omnes divitias suas, pompamque sermonum et argumentorum strophas, frustra comedentis et bibentis somnio comparari: qui militaverunt contra Jerusalem, visionem pacis: sive adversum Ariel, leonem fortissimum, et ad extremum contra montem Sion, super quem Ecclesiae civitas sita latere non potest.

## (Vers. 9 seqq.)

Obstupescite et admiramini: fluctuate et vacillate, inebriamini, et non a vino, movemini, et non ebrietate. Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis: claudet oculos vestros, prophetas et principes vestros qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent: lege istum, et respondebit, non possum: signatus enim est. Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei, lege: et respondebit, nescio litteras.

Pro soporis spiritu, LXX, compunctionem: Theodotio, mentis excessum: Aquila, --- id est, gravem somnum interpretatus est; qui Hebraice dicitur THARDEMA, quem in Adam missum a Deo Scriptura commemorat (Genes. II), quando de costa lateris ejus mulier effecta est. Et Jonas hoc eodem somno stertebat in navi (Jon. I). Omnis autem prophetia post subversionem Jerusalem et templi, id est, Ariel contra scribas et pharisaeos est, qui habentes clavem scientiae, nec ipsi introeunt, nec volentes alios introire permittunt. Et praecipitur eis, ut stupore atque miraculo, immo juxta Septuaginta dissolutione totius corporis et mentis excessu inebrientur, atque moveantur et fluctuent: vacillantes non vino nec sicera, sed spiritu soporis, sive compunctionis Domini, ut intelligentes malum suum, agant aliquando poenitentiam, dicantque cum propheta: Versatus sum in infirmitate, dum configitur mihi spina (Ps. XXXI, 4). Scitote ergo, o scribae et pharisaei, qui estis principes Judaeorum, quod reddat vobis Dominus vicissitudinem vestram. Vos enim audientes Dominum Salvatorem, intelligere noluistis, et clausistis oculos vestros, ne eum videretis, et aures aggravastis, ne audiretis. Ideo et ille claudet oculos vestros, qui sunt prophetae, per quos scientiam Dei videbatis. Sive vestros oculos claudet et prophetarum, qui sunt principes vestri. Lex enim et prophetae usque ad Joannem Baptistam (Luc. XVI): ut vobis non videntibus, illi videant, de quibus inferior sermo (Ad vers. 18) testatur: Et audient in die illo surdi verba libri, et oculi caecorum videbunt et exsultabunt. In judicium enim venit Dominus, ut videntes Judae non videant; et qui caeci erant, populus scilicet nationum, videant et Dominum contemplentur (Joan. IX). Unde significanter non dixit, quod visio omnium prophetarum signata sit cunctis legentibus; sed vobis, inquit, erit signata quibus nunc loquor, quibus haec futura praenuntio: sive oculos principum vestrorum, qui se juxta Septuaginta abscondita et arcana videre jactabant, claudet in perpetuum. Eritque, ait, vobis omnis Scriptura sancta clausa atque signata, ut vos qui Legis litteras, et

prophetarum vaticinia nosse vos existimatis, et diebus ac noctibus volumina Scripturarum indefesso ore meditamini, non intelligatis quod legitis, sicut in Apocalypsi Joannis scribitur: Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus (Apoc. V, 2)? Cumque nullus fuisset inventus qui aperiret signacula, flesse se dicit; et Dei tandem ad se meruisse sermonem: Noli flere: ecce vicit leo de tribu Juda radix David, ut aperiat librum; et solvat signacula ejus. Leo autem de tribu Juda, Dominus Jesus Christus est, qui solvit signacula libri, non proprie unius, ut multi putant, psalmorum David, sed omnium Scripturarum, quae uno scripturae sunt Spiritu sancto; et propterea unus liber appellantur. De quo Ezechiel mystico sermone testatur (Ezech. II), quod scriptus fuerit intus et foris; in sensu et in littera. De quo et Salvator loquitur in psalmis: In capitulo libri scriptum est de me (Ps. XXXIX, 9); non Jeremiae, non Isaiae, sed in omni Scriptura sancta, quae unus liber appellatur. Magistris igitur Judaeorum usque in praesentem diem nequeuntibus legere et aperire signacula, et mysteria pandere Scripturarum, si dederis eum librum indocto populo, qui a suis praeceptoribus devoratur, fatebuntur nescire se litteras, et idcirco legere non posse. Atque e duobus malis multo levius est legis imperitiam confiteri, quam jactare prudentiam; et non posse scire quod dicitur.

## (Vers. 13, 14).

Et dixit Dominus: Pro eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me; cor autem ejus longe est a me, et timuerunt me mandato hominum, et doctrinis. Ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo: peribit enim sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium illius abscondetur.

LXX: Et ait Dominus: Appropinquat mihi populus iste ore suo, et labiis suis honorat me; cor autem ejus longe

est a me: frustra colunt me, docentes hominum praecepta atque doctrinas. Propterea ecce adjiciam ut transferam populum istum: transferam enim illos, et perdam sapientiam sapientium, et intellectum prudentium abscondam. Hoc testimonio usus est Dominus contra Pharisaeos in Evangelio Matthaei, dicens: Quare et vos praeteritis mandatum Dei propter traditiones vestras (Matth. XXV, 5). Et iterum: Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus iste labiis me honorat, cor autem ejus longe est a me. Frustra autem colunt me docentes doctrinas et praecepta hominum (Ibid., 6-9). In quo notare debemus illud quod plerumque admonuimus, Evangelistas et Apostolos, non verbum interpretatos esse de verbo; nec LXX Interpretum auctoritatem secutos, quorum editio illo jam tempore legebatur; sed quasi Hebraeos et instructos in Lege, absque damno sensuum suis usos esse sermonibus. Appropinquat autem populus Judaeorum ore et labiis suis Deo; quia unius Dei cultum habere se gloriatur et respuere idola; sed cor ejus longe est ab eo, quia non recipit Dominum Jesum Christum. Qui enim non recipit Filium, non recipit Patrem. Simulque discamus quomodo aliquis appropinquet Deo, vel longe fiat ab eo. Qui et per Jeremiam loquitur: Deus appropinquans ego, et non de longe dicit Dominus (Jer. XXIII, 23, secundum LXX). Appropinquamus autem Deo mente, non corpore; sicut et de Moyse legimus: Appropinquavit Moyses solus ad Deum: caeteri autem non appropinquabant (Exod. XXIV, 2). Orabat enim Deum in spiritu et veritate, et accedebat ad eum sensu et spiritu. Hi autem de quibus scribitur quod tollantur ab utero, et erudiantur a puero usque ad senectutem; et in Lege Dei die ac nocte meditentur, non appropinquant Deo, quia traditiones Pharisaeorum Scribarumque suscipiunt, quae eos longe faciunt a Deo, et sunt sepulcra dealbata, quae foris videntur esse pulchra, intus autem plena sunt ossibus mortuorum: qui elegerunt Barabbam, et Dominum respuerunt (Matth. XXIII, 27): Propterea additurum se esse comminatur, juxta LXX, ut nequaquam

in Assyrios et Babylonios eos transferat, sed in toto orbe dispergat. Juxta Hebraicum, admirationem magnam populo Judaeorum stupendumque miraculum facturum esse se dicit; ut perdat eorum sapientiam qui non receperunt Dei virtutem Deique sapientiam, et intellectum prudentium abscondat et celet: ne scilicet eum reperiant qui in littera continetur. De hoc loco Apostolus Paulus scribens ad Corinthios posuit testimonium: Perdam sapientiam sapientium, et intellectum prudentium reprobabo (I Cor. I, 19): aliis verbis eumdem sensum edisserens: non quod Deus sit inimicus sapientiae cujus pater est, et per quem omnis est in hominibus sapientia; sed cum additamento posuit, ut in Hebraico est, sapientium populi et prudentium illius, id est, populi Judaeorum. Et revera grande miraculum Deus fecit in populo post adventum Domini Salvatoris, ut uno atque eodem tempore arderet Jerusalem, templumque corrueret, et omnis magistrorum scientia tolleretur; impleto illo quod supra dictum est: (Ad cap. III, 1 seqq.): Ecce Dominator Dominus sabaoth auferet ab Jerusalem et a Juda validum et validam: omnem fortitudinem panis, et omne robur aquae; gigantem et hominem bellatorem, et judicem, et prophetam, et conjectorem et senem, et quinquagenarium, et admirabilem consiliarium, et sapientem architectum, et prudentem auditorem, et caetera, quae propheticus sermo contexuit.

## (Vers. 15, 16.)

Vae qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, et dicunt: Quis videt nos, et quis novit nos? Perversa est haec vestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet, et dicat opus factori suo: non fecisti me; et figmentum dicat fictori suo: non intelligis.

LXX: Vae qui profundum consilium faciunt, et erunt in tenebris opera eorum, et dicunt: Quis videt nos? quis sciet

nos, et quae nos facimus? nonne ut lutum figuli reputabimini? Numquid dicet factura factori suo, non sapienter me fecisti, aut figmentum fictori suo, non tu me fecisti? Adversum eosdem de quibus supra dixerat, perdam sapientiam sapientium, et intelligentiam prudentium reprobabo, sive ut propheta scribit, abscondam: nunc etiam Dei sermo dirigitur, qui sapientes sunt in semetipsis, et in conspectu suo prudentes. De quibus rectissime illud intelligi potest: Defecerunt scrutantes scrutinio (Psal. LXIII); cum scriptum sit de Dei sapientia: Si enim quis perfectus fuerit in filiis hominum absque tua sapientia, in nihil reputabitur (Sap. III). Qui idcirco arbitrantur Deum sua nescire consilia, quia in tenebris sunt opera eorum, et dicunt: Quis videt nos? et quis novi nos? Haec autem dicunt et sapientes hujus saeculi, et haereticorum magistri, et Judaeorum Pharisaei, quod nullus eos intelligat; non recordantes ejus quod ad Deum dicitur: Tenebrae non obscurabuntur a te: et nox sicut dies illuminabitur (Psal. CXXXVIII, 12). Et: Sicut tenebrae ejus, ita et lux ejus (Genes. III). Hoc errore decepti Adam et Eva, audientes sonitum pedum deambulantis in paradiso Dei, absconderunt se sub arbore, in qua erat scientia boni et mali; ac Cain quoque dicens: Si ejicis me hodie a facie tua, abscondar (Gen. IV, 14), simili stultitia Deum arbitratus est ignorare. Et per Amos de impiis et peccatoribus dicitur: Si absconderint se ab oculis meis in profundo maris: ibi mandabo draconi, e mordebit eos (Amos. IX, 3.). Unde quamvis aliquis sapiens sit et ferventioris ingenii, si non habuerit Dei sapientiam atque doctrinam, dicamus de eo: Nis Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverum qui aedificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilabit qui custodit eam (Ps. XII, 1 et 2). Cui nos faciamus simile: Nisi Dominus adjuverit scientiam, in vanum laborat qui se putat esse sapientem. Nisi Dominus omni custodia servaverit cor nostrum, in vanum vigilat qui putat illud sua diligentia posse servari. Perversa est, inquit, haec vestra cogitatio, ut factorem putetis nescire

quod fecit, et Creatorem ignorare creaturam suam, quasi si lutum et opus dicat figulo et factori suo, non me fecisti, vel non me bene fecisti, nec intelligis facturam tuam. Hoc testimonio aliis verbis Apostolus utitur ad Romanos ubi de Dei profunda scientia disputat, et hominum vult calumniam confutare: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum fictori suo, quare me fecisti sic? An non habet potestatem figulus de eodem luto aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam (Rom. IX, 20, 21). In quibus cunctis illa semper observanda est regula: Evangelistas et Apostolos absque damno sensuum interpretatos in Graecum ex Hebraeo, ut sibi visum fuerit.

## (Vers. 17 seqq.)

Nonne adhuc in modico et in brevi convertetur Libanus in Charmel: et Charmel in saltum reputabitur? Et audient in die illa surdi verba libri; et de tenebris et caligine oculi caecorum videbunt. Et addent mites in Domino laetitiam: et pauperes homines in Sancto Israel exsultabunt: quoniam defecit qui praevalebat. Consummatus est illusor: et succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem. Qui peccare faciebant homines in verbo, et arguentem in porta supplantabant; et declinaverunt frustra a justo. Respondeant Judaei et amici simplicis tantum historiae, qui fructus non quaerunt in arbore, sed folia tantum umbramque verborum, quae cito arescit et deperit, quomodo in adventu Domini Salvatoris (quia a temporibus Isaiae usque ad dispensationem carnis assumptae, pro comparatione aeternitatis breve et modicum temporis spatium est) Libanus mons Phoenicis versus sit atque translatus in montem Carmelum? qui Hebraice CHERMEL dicitur; et in confinio Palestinae atque Phoenicis Ptolemaidi imminens: licet et alius in Scripturis sanctis mons Carmelus appelletur, in quo fuit Nabal Carmelius (I Reg. XXV), homo stultus et iniquus, qui uxorem habuit Abigail, quae

mortuo viro, nupsit David; illo enim vivente, virum David accipere non poterat; ne vocaretur adultera si foret alteri viro sociata; et quomodo Charmel in saltum, et infructuosa ligna reputetur? Quod cum dicere non potuerint, audiant Libanum, qui interpretatur dealbatio, referri ad populum gentium, qui lotus in Domino et purgatis sordibus pristinis, totus mundus ascendens, sub Ecclesiae persona innititur Salvatori, et de eo in Cantico Canticorum dicitur: Quae est ista quae ascendit dealbata, innitens super fratruelem suum (Cant. VIII. 5): et istum populum transferri in Charmel, hoc est, in circumcisionis scientiam, ut spiritualis et verae circumcisionis mysteria recognoscat: et in loco sit quondam populi Judaeorum: illos autem qui Christum suscipere noluerunt reputari in saltum, et in arbores steriles, quae non possunt cum lignis fructiferis laudare Dominum. Cum autem Libanus in Charmel, et Charmel in saltum fuerit commutatus, tunc qui prius surdi erant, et verba libri prophetici audire non poterant [de quo supra diximus, quod omnis Scriptura sancta unus liber appelletur, dicente Ecclesiaste (Eccl. XXII, 11): Sermones sapientium tamquam stimuli et quasi clavi in altum confixi, qui a conciliis dati sunt a pastore uno] audient, et loquentur, quibus Salvator dicet: Ephphetha, quod interpretatur, adaperire (Marc. VII). Quodque nos vertimus, de tenebris et caligine oculi caecorum videbunt, quorum facilis interpretatio est; Aquila et Theodotio et Symmachus transtulerunt: Tenebras et caliginem oculi caecorum videbunt: ut ostenderent gentium populo, qui prius caecus erat, Christi sacramenta pandenda, juxta illud quod dicitur: Tenebrosa aqua in nubibus aeris (Ps. XVII, 12). Et in eodem psalmo de Deo scriptum est: Posuit tenebras latibulum suum (Ibid. XII). Et in Proverbiis legimus: Haec audiens sapiens sapientior erit: et prudens gubernationem possidebit: et intelliget parabolam et tenebrosum sermonem, dicta sapientium et aenigmata (Prov. I, 5, 6). Denique et Moyses ut intelligeret et videret Deum (Exod. XX), in nubem ingressus est et in caliginem,

de qua in Psalmo dicitur: Caligo sub pedibus ejus (Ps. XVII, 10). Cum autem prius caeci vel mystica quaeque conspexerint, vel de caecitate et tenebris oculos levaverint ad videndum, ut sedentibus in tenebris et umbra mortis oriatur lumen verum: tunc mites de quibus scriptum est: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (Matt. V, 4): sive pauperes, quorum princeps in psalmis ait: Hic pauper clamavit, et Dominus exaudivit illum (Ps. XXXIII, 7); et, qui judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum (Ps. XIII, 9), de quo dicitur ad Judaeos: Consilium pauperis sprevistis, addent in Domino laetitiam, ut qui gloriatur, in Domino glorietur (II Cor. X); et pauperes homines sive desperati ab hominibus atque contempti, qui legis prius notitiam non habebant, in Sancto Israel exsultabunt, qui ait: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum (Lev. XI, 44). Omnisque est exsultatio: quoniam defecit qui praevalebat. Consummatus est illusor, sive arrogans, et superbus, qui dixerat: Fortitudine faciam et sapientia, auferam fines gentium et fortitudinem earum vastabo; qui omnibus illudebat, in tantum ut sanctus quoque diceret: Lumbi mei repleti sunt illusionibus (Ps. XXXVII, 8). Et succisi sunt, sive deleti omnes qui vigilabant super iniquitatem, quorum propter malas vigilias non dormitat interitus: qui peccare faciebant universum hominum genus in verbo blasphemiae, ut negarent Verbum Dei, et in coelo ponerent os suum. Significat autem daemones, qui nequam ipsi, omnes faciebant homines in sermone peccare, variis dogmatibus blasphemantes, et arguentem in porta atque judicio, quantum in se erat, supplantabant, et a justitia declinare faciebant, qui erat in portis filiae Sion, exaltatus de portis mortis; et corripiebat eos qui oderant in portis arguentem. Quae nos super diabolo et angelis ejus intelleximus, Nazaraei contra Scribas et Pharisaeos dicta arbitrantur, quod defecerint --- qui prius illudebant populo traditionibus pessimis; et ad decipiendos simplices die noctuque vigilabant, qui

peccare faciebant homines in Verbo Dei, ut Christum Dei Filium negarent.

## (Vers. 22 seqq.)

Propter hoc haec dicit Dominus ad domum Jacob, qui redemit Abraham: Non modo confundetur Jacob: nec modo vultus ejus erubescet: sed cum viderit filios suos, opera manuum mearum, in medio sui sanctificantes nomen meum: et sanctificabunt sanctum Jacob, et Deum Israel praedicabunt; et scient errantes spiritu intellectum, et mussitatores discent Legem.

LXX: Propterea haec dicit Dominus super domum Jacob, quam superavit ex Abraham: Non modo confundetur Jacob: neque nunc faciem mutabit; sed cum viderit filios suos opera mea: propter me sanctificabunt nomen meum, et sanctificabunt sanctum Jacob: et Deum Israel timebunt: et scient qui errant spiritu, intelligentiam: et mussitatores discent obedientiam, quodque sequitur ÷ et linguae balbutientes discent loqui pacem ** obelo praenotandum est. Cum audierint, inquit, surdi verba libri, et oculi caecorum viderint: Libanusque conversus fuerit in Charmel, et Charmel reputatus in saltum, ita ut mites et pauperes laetentur in Domino, et superbus illusorque deficiat: tunc confundetur Jacob qui modo interim non confunditur. Significat autem Isaiae tempora. Et vultus illius erubescet, ut rubor atque confusio occasio sit salutis, praecipue cum viderit filios suos, id est, Apostolos et apostolicos viros, qui fuerunt de genere Judaeorum, in medio nationum Domini perpetrare virtutes, et Christi nomen gentibus praedicare, et dicere: Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum (Matth. VI, 9). Illi enim sanctificabunt Sanctum qui ortus est de Jacob, et Deum Israel docebunt in gentibus, ut idolis derelictis, dicant: quam falsa possederunt patres nostri idola, et non est in illis qui pluat; et tunc scient qui nunc errant spiritu, intelligentiam Dei, et qui quondam in

solitudine murmurabant contra Dominum, discent Legem, cujus prius notitiam non habebant. Si enim recepissent Moysem, recepissent et Dominum Jesum Christum, quia Moyses de illo loquebatur. Quod in principio capituli juxta Hebraicum transtulimus: Haec dicit Dominus ad domum Jacob, qui redemit quondam Abraham, et eduxit de Chaldaeis, et in terram repromissionis induxit (Genes. XI), perspicue patet. Illud autem quod Septuaginta transtulerunt: Haec dicit Dominus super domum Jacob quam separavit ex Abraham, sic intelligi potest, quod Scribas et Pharisaeos, qui Dominum blasphemabant, separaverit ab Abraham, qui vidit diem Domini, et laetatus est (Joan. VIII). Si enim fuissent filii Abraham, fecissent opera Abraham. Et Apostolus disputat eos appellandos filios Abraham (Hebr. XI), qui habuerint similitudinem fidei Abraham, hoc est, populum gentium, qui non ex operibus, sed ex fide Abraham filius appellatus est.

## (Cap. XXX.---Vers. 1 seqq.)

Vae filii desertores, dicit Dominus: ut faceretis consilium, et non ex me: et ordiremini telam, et non per Spiritum meum: ut adderetis peccatum super peccatum. Qui ambulatis, ut descendatis in Aegyptum: et os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, et habentes fiduciam in umbra Aegypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbrae Aegypti in ignominiam. Erunt enim in Tanis principes tui: et nuntii tui usque Hanes pervenerunt. Omnes confusi sunt super populo qui eis prodesse non poterit: non fuerunt in auxilium et in aliquam utilitatem, sed in confusionem et in opprobrium.

LXX: Vae filii praevaricatores, dicit Dominus. Fecistis consilium, et non per me; et pactum, non per spiritum meum: ut adderetis peccata peccatis: qui itis ut descendatis in Aegyptum; et me non interrogastis, ut

accipiatis auxilium a Pharaone, et protegamini ab Aegyptiis. Erit vobis protectio Pharaonis in confusionem; et his, qui confidunt in Aegypto, opprobrium. Sunt enim in Tani principes, nuntii pessimi. Frustra laborabunt ad populum, qui eis non proderit ad auxiliandum: neque in utilitatem, sed in confusionem et opprobrium. Post prophetiam contra Ariel, et caetera quae usque ad hunc locum praeteritus sermo disseruit: nunc alterius vaticinationis exordium est, quae post centum quinquaginta annos, qui fuerunt inter Isaiam et Jeremiam probatur esse completa. Praedicit enim illam historiam, quam in Jeremiae volumine legimus (Jerem. XLI), quando subversa Jerusalem et omnibus in Babylone opibus principibusque translatis, praepositus est regii generis his qui in Judaea remanserant, Godolias filius Ahicam, quo per dolum cum Chaldaeis sociis interfecto, omnes principes bellatorum, et Johannan filius Chareae, et Jechonias filius Osiae; et reliquum vulgus a parvo usque ad magnum, accesserunt ad Jeremiam Prophetam, et dixerunt ei: Cadat oratio nostra in conspectu tuo, et ora pro nobis ad Dominum Deum tuum pro universis reliquiis istis. Quia relicti sumus pauci de pluribus, sicut oculi tui nos intuentur; et annuntiet nobis Dominus Deus tuus viam per quam pergamus, et verbum quod faciamus (Jerem. XLII, 2, 3). Cumque Jeremias post decem dies ex sermone Domini respondisset: Haec dicit Dominus Deus Israel: Si quiescentes manseritis in terra hac, aedificabo vos et non destruam, plantabo et non evellam, quoniam placatus sum super malo quod feci vobis. Nolite timere a facie regis Babylonis, quem vos pavidi formidatis (Ibid., X, 11). Et post modicum: Si autem dixeritis, non habitabimus in terra ista; et posueritis faciem vestram, ut ingrediamini Aegyptum, et intraveritis ut ibi habitetis; gladius quem vos formidatis, ibi comprehendet vos: et fames pro qua estis solliciti, adhaerebit vobis in Aegypto, et ibi moriemini (Ibid., XLII, 13, 15, 16). Responderunt viri superbi, dicentes ad Jeremiam: Mendacium tu loqueris: non misit te Dominus Deus noster, dicens: Ne ingrediamini

in Aegyptum, ut habitetis illic; sed Baruch filius Neriae incitat te adversum nos, ut tradat nos in manibus Chaldaeorum, ut interficiat nos et transduci faciat in Babylonem (Jerem. XLIII, 2, 3). Denique omnes principes populi reliquiis congregatis cum mulieribus et parvulis et filiabus regis, non audientes vocem Domini, ingressi sunt Aegyptum, assumptis secum Jeremia et Baruch, et venerunt in Taphnas, ita ut Jeremias in signum captivitatis futurae prophetaret contra inobedientem populum ea quae in libro illius continentur. Quod igitur postea futurum erat, ante annos multos praedicitur, et desertores et praevaricatores filii appellantur qui deserto consilio Dei, quod acceperant per Jeremiam, suam secuti sunt voluntatem, et orditi telam, non per spiritum Dei, qui eis Jeremiae ore resonabat. Orditam autem telam --- posuit, ut pravum consilium demonstraret, et hoc fecerunt, ut peccata pristina augerent peccato contentionis et superbiae. Qui descenditis, inquit, in Aegyptum, et os meum non interrogastis. Non quod non interrogaverint, sed quod consilium Prophetae audire noluerint, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, et habentes fiduciam in protectione, sive umbra Aegypti. Pro fortitudine Pharaonis, quae in hoc loco bis ponitur, in Hebraico scriptum habet MAOZ. Hoc annotavimus, ut quod in Danielis extrema legimus (Dan. II) visione Deum MAOZIM, non ut Porphyrius somniat, Deum viculi Modim, sed robustum Deum et fortem intelligamus. Pharao autem apud Aegyptios nomen est regiae potestatis; et unusquisque speciali appellatur vocabulo, ut Pharao Nechao, et Pharao Vafres: quomodo si nos Caesares et Augustos propriis regum vocabulis praeponamus. Et erit, inquit, vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbrae Aegypti in ignominiam. Scribit idem Jeremias, quod in Taphnis urbe Aegypti infoderit lapides in porta domus Pharao, et dixerit viris Judaeis: Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego mittam et assumam Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum, et ponam thronum ejus super lapides istos quos abscondi, et

statuet solium suum super eos. Veniensque percutiet terram Aegypti, quos in mortem, in mortem: et quos in captivitatem, in captivitatem: et quos in gladio, in gladio: et succendet ignem in delubris deorum Aegypti, et comburet ea, et captivos ducet illos. Et amicietur terra Aegypti, sicut amicitur pastor pallio suo et egredietur inde in pace (Jerem. XLIII, 10-12). Superatis enim Aegyptiis, capti sunt et Judaei, qui ad Aegyptios fugerant. Quodque sequitur: Erunt enim in Tanis principes tui, et nuntii tui usque ad Hanes pervenerunt, cum irrisione et --- legendum, quod spreto Dei consilio, principes suos ad Tanis urbem Aegypti miserint, in qua domus Pharaonis regia fuit, et sub Moyse signa atque portenta plurima perpetrata sunt, dicente Psalmographo: Qui fecit mirabilia in terra Aegypti, in campo Taneos (Ps. LXXVII, 43). Et idem Isaias contra Aegyptum loquitur: Ubi sunt nunc sapientes tui? annuntient tibi, et dicant, quid cogitaverit Dominus sabaoth contra Aegyptum. Defecerunt principes Taneos (Isa. XIX, 12, 13), quos eo tempore defecisse commemorat, quando Dominus ingressus est Aegyptum super nubem levem. Hanes autem urbem Aegypti in alio loco non legimus, sed ex eo quod ait: Nuntii tui usque ad Hanes pervenerunt, intelligimus ultimam juxta Aethiopas et Blemmyas esse Aegypti civitatem, pro quo LXX interpretati sunt: Nuntii pessimi frustra laborabunt, qui confisi sunt super populo Aegypti, qui eis prodesse non potuit, et fuerunt in opprobrium sempiternum. Quidam hunc locum contra decem tribus in Samaria scriptum putant, quod ab Aegyptiis auxilia postulantes, capti sint ab Assyriis. Juxta tropologiam: Omnes qui Dei religione contempta, revertuntur ad vomitum suum, et perdito nomine filiorum, impudentissimi canes appellantur, ineunt consilium, non per Dominum, et feriunt foedus, non per spiritum Domini, adduntque peccata peccatis: ut superati blandientibus vitiis, etiam dogmatum recipiant pravitatem, et descendant in Aegypti tenebras, quaerentes auxilium Pharaonis, qui regnat in Aegypto, cujus protectio ducit in

ignominiam, et in opprobrium sempiternum. Sunt enim in Tanis, in mandato videlicet humili atque dejecto principes ejus, pessimi nuntii, qui frustra laborant super populo qui eis prodesse non poterit. Sicut enim sanctos magistros juvat discipulorum salus, sic perditio seductorum perdit patriarchas eorum qui ad Aegypti auxilium confugerunt.

Onus jumentorum Austri Pro quo Hebraice dicitur MASSA BEEMOTH NEGEB, quod LXX transtulerunt, Visio quadrupedum in deserto. Superior expositio, quam latissime historiae replicatione texuimus, hujus loci est interpretatio, quod juxta consuetudinem prophetalem, onus, id est, pondus et sarcina cruciatuum atque poenarum, non solum super Babylonem et Philisthiim, et Moab, et Damascum, et Aegyptum, et desertum mare, Idumaeam quoque et Arabiam, et vallem Sion, et ad extremum Tyrum; sed super jumenta quoque Austri pervenerit, quae LXX transtulerunt, quadrupedes in deserto. Significat autem tribum Juda, quae in australi parte sita, eremo confinis est; et eos qui Jeremiae vaticinium respuentes, capta Jerosolyma, noluerunt habitare in Judaea; sed per desertum ad Aegyptios confugerunt. Et recte appellantur jumenta Austri, sive quadrupedes in deserto, quia respuerunt notitiam Dei, et contempto ejus imperio, ad Aegypti simulacra fugerunt, spem habentes in Pharaone, cui qui innixus fuerit, quasi si incumbat arundini, quae fracta manum vulneret innitentis. De istiusmodi jumentis et filii Chore loquebantur in psalmo: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (Ps. XLVIII, 13). Quodque sequitur: Haec via eorum scandalum ipsis, recte super praesenti capitulo intelligi potest, quod via deserti illis fuerit in ruinam. Legisse me novi, jumenta Austri et quadrupedes in deserto, qui Judaeae terminos relinquentes, ad Aegypti tenebras confugerunt, referri ad spiritualia nequitiae in coelestibus; et rectores tenebrarum istarum, qui universas divitias et pristinas opes Aegypti desiderio perdiderunt.

Hoc ille dixerit. Nos juxta tropologiam, ut quae necdum proposuimus, disseramus, dicimus omnes qui Creatore deserto, saeculi erroribus se dederunt, esse quadrupedes in deserto istius saeculi, a quo frustra sperent auxilium, cum verum Dei auxilium dereliquerint.

## (Vers. 6, 7.)

In terra tribulationis et angustiae leaena et leo: ex eis vipera et regulus volans: portantes super humeros jumentorum divitias suas; et super gibbum camelorum thesauros suos ad populum qui eis prodesse non poterit: Aegyptus frustra et vane auxiliabitur.

LXX: In tribulatione et angustia leo et catulus leonis: inde aspides et genimina aspidum volantium: qui ferebant super asinos et camelos divitias suas ad gentem, quae eis non proderit: Aegyptii inania et vacua proderunt vobis. Pro leone, in Hebraico scriptum habet LEIS, et pro regulo volante, quem LXX genimina aspidum volantium transtulerunt, in Hebraico --- dicitur et volans quem nos appellare possumus comburentem, et Hebraice vocatur SARAPH. Rursum in eo loco ubi nos interpretati sumus, portantes super humeros jumentorum, pro jumentis omnes similiter transtulerunt πώλους, id est pullos asinorum. Terra autem tribulationis et angustiae, latissimam eremi significat vastitatem, per quam reliquiae Jerusalem cum Johannan filio Careae et filiabus regis Sedechiae, sublatis omnibus quae habere poterant, ad Aegyptum transfugerunt. Leaenam-quoque et catulum leonis, Jerusalem et populum ejus --- intellige, dicente Balaam in Numeris: Ecce populus ut leaena consurget, et quasi leo erigetur: Non accubabit, donec devoret praedam, et occisorum sanguinem bibat (Num. XXIII, 24). In Ezechiele quoque scriptum est: Assume planctum super principem Israel, et dices: Quare mater tua leaena inter leones cubavit, in medio leunculorum enutrivit catulos suos (Ezech. XIX, 1, 2)? Ac ne putaremus vere Scripturam

sanctam de leaena et leone dicere, contra naturam rerum loquitur, quod de leaena et leone nata sit vipera et regulus volans, sive genimina aspidum volantia: quod videlicet de malis parentibus pejores generati sint liberi, de quibus et Evangelium loquebatur: Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira ventura (Matth. III, 7)? Et ad terram dicitur Israel: Tu es terra in qua non pluit, nec imber venit super te in die irae, cujus principes in medio ejus, quasi leones rugientes, rapientes praedam, animas devorantes per potentiam (Supra, V). Ista genimina viperarum, sive aspidum volantium, id est, principes populi et omnis impiorum turba, ierunt ad populum, qui eis prodesse non potuit, dicente Jeremia (Jerem. LVI), quod traderet Dominus Pharaonem Vafre regem Aegypti in manum inimicorum ejus, et in manus quaerentium animam illius, et consumerentur omnes viri Juda, qui erant in terra Aegypti, gladio et fame usque ad internecionem, in tantum ut tradant Hebraei, prius quam Nabuchodonosor Aegyptum caperet, Jeremiam et Baruch imminentem captivitatem morte vitasse. Leaenam et catulum leonis quidam coelestem Jerusalem et deceptum ex ea populum exposuit, regulumque volantem, et viperas, et genimina aspidum, illum de quo supra legimus (Supra. XIV et XXVII), colubrum tortuosum, et de quo Salvator in Evangelio loquebatur: Videbam Satanam, quasi fulgur de coelo cadentem (Luc. X, 19): qui draco appellatus in Apocalypsi (Apoc. XII), tertiam partem stellarum secum detraxit in terram, quae perversitate sententiae priores divitias perdiderunt, deserentes eas in Aegyptum hujus saeculi.

Ideo clamavi super hoc: superbia tantum est: quiesce. Pro quo nescio quid volentes Septuaginta Interpretes transtulerunt: Annuntia ista, quoniam vana est consolatio vestra haec. Porro Symmachus interpretatus est, --- id est, tumultus sunt ut habitent. Verbum Hebraicum REEB, Aquila, ὅρμημ , id est, impetum et superbiam: Symmachus, turbationem; LXX, vanitatem:

Theodotio, latitudinem interpretati sunt; quod tribus litteris scribitur RES et HE et BETH, et ipsum est quod in Psalmis legitur: Memor ero Raab et Babylonis scientium me (Ps. XXVI, 3). Et est sensus: Quoniam in Aegyptiis vanum auxilium est, praecepi ei, id est, Jerusalem, sive clamavi, quod Aegyptii regni tantum haberent vocabulum, et absque viribus superbiam: et Israel in terra sua sedere vel habitare deberet, nec frustra ab infirmis auxilium petere.

## (Vers. 8.)

Nunc ingressus scribe eis super buxum. in libro diligenter exara illud: et erit in die novissimo in testimonium usque in aeternum.

Aiunt Hebraei, quoniam in Prophetis unus sit spiritus, et omnia apud Dominum juncta sint tempora, Jeremiae praecipi, et Dei esse mandatum, ut ingressus Aegyptum scribat eis super buxum, quod lignum est imputribile; sive, ut Symmachus transtulit ---, id est, super latissimam tabulam. Eis autem, haud dubium quin Judaeis: et in libro diligenter edisserat, ita ut nulla difficultas sit lectionis, ut quando vaticinium fuerit rebus expletum, tunc intelligant verum Prophetarum esse sermonem. Manifesta transcurrimus, ut in obscurioribus immoremur.

## (Vers. 9 seqq.)

Populus enim ad iracundiam provocans est: et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus, nolite videre: et aspicientibus, nolite aspicere nobis ea quae recta sunt: loquimini nobis placentia; videte nobis errores. Auferte a me viam: declinate a me semitam: cesset a facie nostra Sanctus Israel.

Perspicuum est, quod ad iracundiam provocaverint Dominum, Jeremiae verba audire nolentes (Jerem. XLIII).

Qui dixerunt ei: Noli nobis videre quod nolumus: noli nobis interdicere viam Aegypti nec quae recta sunt praedices; sed loquere quod nobis placet, ut pergamus in Aegyptum, quod cumulet peccata peccatis. Quid nobis ingeris quod non libenter audimus? quid monstras viam per quam ingredi nolumus? Quid frequenter ingeminas auribus nostris: Haec dicit Dominus Sanctus Israel? Cesset a nobis ista praedicatio. Secundum tropologiam, omnes haeretici mendaces filii appellantur. Ex nobis enim exierunt, sed non fuerunt ex nobis (I Joan. II); qui non audiunt interioris hominis auribus Legem Dei, et Ecclesiarum loquuntur magistris: Nolite nobis videre quae recta sunt, nec gehennae flammas comminemini; sed promittite nobis regna coelorum, ut post luxuriam et delicias, pandatur nobis paradisus. Quid mihi ostendis viam Domini, per quam non libenter ingredior? Quid replicas nomen Sancti Israel, sive verbum Israelis, quod mei pectoris arcana non penetrat? Quod quidem et ad populum Ecclesiae dicitur negligentem, si aversetur austeritatem magistrorum, et adulatoribus faveat.

## (Vers. 12-14.)

Propterea haec dicit Dominus Sanctus Israel: Pro eo quod reprobastis verbum hoc, et sperastis in calumnia et tumultu: et innixi estis super eo: propterea erit vobis iniquitas haec sicut interruptio cadens, et requisita in muro excelso: quoniam subito dum non speratur veniet contritio ejus. Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida: et non invenietur de fragmentis ejus testa in qua portetur igniculus de incendio: aut hauriatur parum aquae de fovea. Quia, inquit, supra dixistis: Cesset a facie nostra Sanctus Israel, sive ut LXX transtulerunt, auferte a nobis verbum Israel; idcirco haec dicit Dominus Sanctus Israel, et nolentibus vobis se ingerit, ut quem neglexistis commonentem, sentiatis punientem. Habuistis fiduciam in Aegyptiorum calumnia atque mendacio, et innixi estis super tumultu

eorum, sive contradictione et superbia, ut Symmachus et Theodotio interpretati sunt, propterea vertetur vobis haec iniquitas sive peccatum, ut sitis quasi murus cadens subito civitatis firmissimae et captae, cujus repentina advenerit ruina, ita enim LXX transtulerunt. Et est sensus juxta Hebraicum: Quomodo interruptio muri altissimi qui longam traxit ruinam, difficile instaurari potest, et pristinum decorem recipere: sic vobis veniet repentina contritio. Et ut alia utar similitudine: Sicut vas figuli, si confringatur contritione pervalida, ita comminuitur in frusta, ut vix parvula testa remaneat de fragmentis, in qua portetur igniculus, aut paululum aquae de lacuna hauriatur et fovea; sic vos cum ieritis in Aegyptum, persequente vos illuc Nabuchodonosor, usque ad internecionem peribitis. Haeretici quoque et omne dogma contrarium veritati confidunt in calumnia atque mendacio, et mussitant juxta LXX contra Creatorem suum. Propterea impietatis eorum civitas destruetur, quam aedificavit Cain, cui veniet repentina perditio, cum capta fuerit ab ecclesiasticis viris, et ita destructa et comminuta, ut nihil in ea remaneat quod possit ignem emortuum reaccendere, et saltem coenosam, et parvulam aquam populis praebere sitientibus.

## (Vers. 15 seqq.)

Quia haec dicit Dominus Deus Sanctus Israel: Si revertamini et quiescatis, salvi eritis: in silentio et in spe erit fortitudo vestra; et noluistis, et dixistis: Nequaquam; sed ad equos fugiemus: ideo fugietis et super veloces ascendemus: ideo veloces erunt qui persequentur vos. Mille homines a facie terroris unius: et a facie terroris quinque fugietis.

LXX: Haec dicit Dominus Deus Sanctus Israel: Cum reversus ingemueris, tunc salvus eris, et scies ubi fueris: quia confidebas super vanis, vana facta est fortitudo vestra; et noluistis audire: sed dixistis, super equos

fugiemus: propterea fugietis; et super levibus ascensoribus erimus: ideo leves erunt qui persequuntur vos. Mille ad vocem unius fugient: et ad vocem quinque fugient multi. Sanctus, ait, cujus supra nomen tacueram, ipse est Dominus Deus, qui vobis et per me et per Jeremiam loquitur (Jerem. XII): Si agatis poenitentiam, et vel vitia relinquatis, vel errorem pravi consilii: et maneatis in Judaea, non Babyloniorum impetum, sed mea praecepta metuentes, salvi eritis. Quiescite et sperate in Domino, et fidei in promissis meis robur arripite, qui contemnentes praecepta vitalia, desperatione dixistis, nequaquam ita erit ut loqueris; sed ad equos confugiemus Aegyptios, et concito ad eos atque veloci pergemus gradu. Quia igitur ista dixistis, fugietis quidem et pernici cursu intrabitis Aegyptum; sed velociores erunt Babylonii, qui vos usque ad Aegyptum persequentur, tantusque terror atque formido obtinebit Aegyptum, ut uni Chaldaeo mille Aegyptii resistere nequeant, et quinque hostibus, fugientium plurima multitudo, juxta illud quod in Deuteronomio legimus: Dabit te Dominus ut corruas in conspectu inimicorum tuorum. Via una egredieris ad eos, et per septem vias fugies a facie eorum, et eris in dispersione in cunctis regnis terrae (Deut. XXVIII, 25, 32). Juxta anagogen et LXX editionem, omnes ad poenitentiam peccatores, et praecipue haereticos cohortatur sermo divinus, quod cum reversi a vitiis ingemuerint, et egerint poenitentiam, salvi fiant; et tunc intelligant ubi prius fuerint, et quod frustra in vanis speraverint. Cumque eos ad poenitentiam cohortetur, illi e contrario confidunt in falsis magistris, et in incerto saeculi: Deique verba audire nolentes, equos Aegyptios desiderant, et eorum velocitate laetantur, quos multiplicari Dominus prohibuit (Deut. XVII). Idcirco ecclesiastici viri eos velociter persequentur, et unius bellatoris vocem, sive quinque pugnantium (quod ad mentem et ad quinque sensus referre debemus) mille homines et incondita turba fugientium sustinere non poterunt.

## (Vers. 17.)

Donec relinquamini quasi malus navis in vertice montis, et quasi signum super collem. Scribit et Jeremias quod interfectis gladio et fame his qui in Aegyptum confugerant, pauci remanserint qui reversi sint in Judaeam (Jerem. XLVI). Et quomodo si fracta navi et compage illius dissoluta, sola arbor quae malus dicitur, remaneat, et ponatur pro signo in summitate montis, sive in excelso colle: sic pro signo atque vestigio, vix unus et alter resideant, ad Dei potentiam demonstrandam. Et tunc, inquit, scient omnes reliquiae Juda, qui nunc ingrediuntur terram Aegypti, ut habitent ibi, cum reversi fuerint in terram Judaeam, cujus sermo compleatur, meus, an illorum.

## (Vers. 18)

Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri, et ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus judicii Dominus: beati omnes qui exspectant eum.

Grandis clementia Dei, ut exspectet nostram poenitentiam, et donec nos a vitiis convertamur, ille potentem contrahat manum, ne ferire cogatur. Ideo autem miseretur et parcit, ut exaltetur illius misericordia, et bonitas Creatoris nota cunctis fiat. Vel certe juxta illud quod in Evangelio loquitur (Joan. XII, 32): Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me, idcirco exaltatur in cruce, ut parcet omnibus [poenitentibus]. Ipse est enim Deus judicii; et beati sunt omnes qui exspectant Dominum exspectantem conversionem suam. Quorum sit autem, et quae ista conversio, sequentia verba monstrabunt.

## (Vers. 19.)

Populus enim Sion habitabit in Jerusalem.

Judaei haec ad Cyri tempora referunt, quando de Babylone in Judaeam reversus est populus sub Zorobabel et Jesu Pontifice. Nos autem, ut saepe jam diximus, omnes repromissiones quae excedunt mediocritatem illius temporis, ad Christi referamus adventum, in quo captivus quondam populus passione Domini liberatus, habitavit in Sion et Jerusalem, in specula videlicet, et visione pacis, hoc est, in Ecclesia. Porro quod in LXX verbum additur sanctitatis, qui dixerunt: populus enim sanctus in Sion habitat, sic interpretari possumus, ut dicamus nullum habitare in Sion, nisi eum qui sanctus sit, et audiat dicentem Dominum: Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum (Lev. XI, 44).

## (Vers. 20.)

Plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui: ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi.

Cum reversus fueris in Sion, et habitaveris in Jerusalem, nequaquam plorabis, ut ante ploraveras, sed fletus tuus vertetur in gaudium: Beati enim flentes, quia ipsi ridebunt (Luc. VI, 21). Et postquam clamaveris, et dixeris ad Dominum. Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine (Ps. CXVIII, 145). Et iterum: Clamavi, miserere mei, et custodiam mandata tua (Psal. LXXXV). Et alibi: Exspectavi in matutino et clamavi (Ps. CXVIII, 147), et tam clara fuerit vox tua, ut coelos penetret: statim tibi Dominus respondebit, et similis eris Moysi, de quo scriptum est: Loquebatur Moyses, et Dominus respondebat ei (Exod. XIX, 20).

## (Vers. 21.)

Et dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem.

Si ad Zorobabel haec referimus tempora, facilis interpretatio est; quod non fuerit sub eo perfecta laetitia, dicente David: Cum converteret Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati: ut non consolationem plenam atque perfectam, sed similitudinem consolationis acciperent. Sin autem ad Salvatoris adventum, panis arctus et aqua brevis, juxta Apostolum Paulum, et hunc eumdem Isaiam prophetam, evangelicus sermo praedicitur, qui pro laciniosis Legis observationibus atque mandatis, in uno verbo recapitulavit omnia: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Consummatum enim et abbreviatum sermonem fecit Dominus super terram (Galat. V).

## (Vers. 22.)

Et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum, et erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum, et aures tuae audient verbum post tergum monentis: Haec via, ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram.

LXX: Et nequaquam ultra appropinquabunt tibi qui decipiant te, quia oculi tui videbunt eos qui te seduxerunt, et aures tuae audient verba post te decipientium, qui dixerunt: Haec via, ambulemus in ea, sive ad dexteram, sive ad sinistram. Multum in hoc loco LXX editio Hebraicumque discordant. Primum ergo de Vulgata editione tractabimus, et postea sequemur ordinem veritatis. Cum intellexerint atque perspexerint cordis oculi veritatem, et eos qui se prius deceperant, tota mentis ratione cognoverint, et auribus eruditis post tergum decipientium verba perspexerint, semper enim caecam corporis partem decipere festinant, juxta illud quod in psalmo legimus: Ut sagittent in obscuro rectos corde (Ps. X, 2), qui tantam sibi assumunt auctoritatem, ut seu dextera doceant, seu sinistra, id est, sive bona, sive mala, nolint discipulos ratione discutere, sed se praecessores sequi. Tunc hi qui prius decipiebant,

nequaquam ultra ad eos valebunt accedere postquam se senserint intellectos. Porro juxta Hebraicum et facilis et vera explanatio est. Cum enim Dominus credentibus dederit panem arctum, et aquam brevem, nequaquam ultra faciet avolare ab eis illum qui docet hominem scientiam; sed semper videbunt oculi ejus praeceptorem suum, et aures illius verbum post tergum monentis exaudient, atque dicentis: Haec via recta est, ambulate in ea, neque ad dextram, neque ad sinistram, secundum illud quod alibi legitur: Nec ad dextram, nec ad sinistram declinabimus, via regia gradiemur (Num. XX, 17). In utraque enim parte quidquid supra modum est, in vitio est. Et de dextris partibus dicitur: Ne sis justus multum (Eccl. VII, 17). De sinistris autem quod in haedorum, et in pereuntium parte ponantur, nulla dubitatio est.

## (Vers. 23.)

Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, et vestimentum conflatilis auri tui, et disperges ea sicut immunditiam menstruatae: egredere, dices ei.

LXX: Et contaminabis idola deargentata, et deaurata: comminues ea et disperges sicut aquam menstruatae, et sicut stercus abjicies ea. Cum intellexeris veritatem, et decipientes ad te non accesserint, sed oculi tui viderint praeceptorem tuum, et aures tuae semper audierint: Haec via, ambulate in ea, neque ad dextram, neque ad sinistram; tunc omnes errores et idola, ac similitudines veritatis, quae artifex lingua composuerat in splendore eloquentiae, quod interpretatur argentum, et in ratione sapientiae, quod aurum sonat, comminues atque disperges, et ita judicabis immunda, ut menstruatae mulieris sordidissimo sanguini compares, quod verbis aliis aquam menstruatae Septuaginta transtulerunt.

## (Vers. 24.)

Et dabitur pluvia semini tuo ubicumque seminaveris in terra, et panis frugum terrae erit uberrimus et pinguis.

LXX: Tunc erit pluvia semini terrae tuae, et panis frugum terrae tuae erit abundans et pinguis. Scriptum est in Regum volumine (III Reg. XVIII), quod postquam interfecti sunt ab Elia pseudoprophetae, data sit pluvia terrae Israel: et quod panis Elisaei et postea Salvatoris uberrimus fuerit atque pinguissimus, et tantam habuerit plenitudinem, ut multa hominum millia ex eo saturata sint (IV Reg. IV; Joan. VI). Ita et in praesenti loco, non prius dabitur pluvia semini spirituali, et panis terrae uberrimus atque pinguissimus, nisi idola deargentata et deaurata fuerint comminuta, et reputata in sterquilinium. Nisi enim vitia recesserint, virtutes non subeunt.

## (Vers. 25.)

Pascetur in possessione tua in die illa agnus spatiose. Et tauri tui et pulli asinorum qui operantur terram, commixtum migma comedent sicut in area ut ventilatum est.

LXX: Et pascentur jumenta tua in die illa locum pinguem et spatiosum. Tauri vestri et boves vestri qui operantur terram, comedent paleas commixtas in hordeo ventilato. In rerum omnium abundantia, coelesti pluvia descendente, et illo pane qui de coelo descendit, quem qui comederit, numquam esuriet, pascentur agni in loco spatiosissimo, qui sequuntur agnum quocumque vadit, et qui semper ad dextram sunt. Tauri autem principes gregis, de quibus legimus: Congregatio taurorum in vaccis populorum (Ps. LXVII, 31): et pulli asinorum, quibus sedens Dominus ingressus est Jerusalem (Matth. XXI), qui operantur terram, sic de area comedent, ut fuerit ventilatum, ne quid videlicet in cibo eorum mixtum sit palearum, de quibus in Jeremia scriptum est: Quid paleis ad triticum, dicit Dominus (Jerem. XXIII)? et quae in

Evangelio comburuntur igni intextinguibili (Luc. III). Porro juxta LXX jumenta, quae necdum rationis sapientiaeque sunt plena, et de quibus unum loquitur ad Deum: Sicut jumentum factus sum apud te (Ps. LXXII, 23), pascentur in loco pinguissimo et spatioso, qui non affert spinas et tribulos, sed quasi terra Israel lacte et melle decurrit, et plenam pascentibus tribuit libertatem. Tauri autem et boves qui operantur terram, id est, Apostoli et viri apostolici, de quibus et apostolus Paulus scriptum interpretatur: Non alligabis os bovi trituranti. Et, Numquid de bobus cura est Deo (I Cor. IX, 9)? Sed utique de his dicit, qui operantur terram suam, et de quibus idem loquitur, Dei agricultura, Dei aedificatio sumus (I Cor. III, 9). Pater enim agricola est, et Christus vinea (Joan. XV): comedent paleas mixtas cum hordeo ventilato. Legimus quod Isaac hordeum severit, et quia apud allophylos erat, centenariam hordei frugem receperit (Gen. XXVI). Et Osee coro et dimidio coro hordei conduxit mulierem adulteram (Osee III). Salvator quoque quinque millia virorum qui adhuc sensibus corporis serviebant, et Legem sequebantur Moysi, hordeaceis panibus saturaverat (Joan. VI). Qui in alio loco frangens septem Legis panes et in frusta comminuens, quatuor millia viros replevit triticeis panibus, qui evangelicum numerum sequebantur (Matth. XV). Istiusmodi populi comedunt et partem palearum; dum in quibusdam sequuntur litteram, et tamen per paleas et hordeum paulatim proficiunt, ut transeant ad frumentum.

## (Vers. 25.)

Et erunt super omnem montem excelsum, et super omnem collem elevatum rivi currentium aquarum in die interfectionis multorum, cum ceciderint turres.

In hoc loco Judaei multos interfectos et ruentes turres, ad Romani imperii referunt potentiam, de quibus et Apostolus loquitur (II Thess. VII): Tantum qui tenet

nunc, teneat, donec de medio fiat. Quod scilicet in illo tempore tanta beatitudo sit populi Israel, ut non solum valles atque campestria, sed omnes montes et colles aquis fluentibus irrigentur. Nos autem montes et colles, eos intelligamus, qui in excelsum virtutibus elevati sunt, qui esuriunt et sitiunt justitiam (Matth. V), quos Dominus provocat ad bibendum. Qui enim biberit de aquis ejus, non sitiet in aeternum (Joan. IV). Unde et in psalmo legimus: Benedicite Dominum de fontibus Israel (Ps. LXVII, 27). Et in Evangelio dicitur, quod omnis qui biberit de aquis Jesu, flumina aquae vivae fluent de ventre ejus (Joan. VII). Et ad Deum Sanctus loquitur: Quoniam apud te est fons vitae (Ps. XXXV, 10), de quo purissimum flumen egreditur, super quo rursum Scriptura commemorat: Fluminis impetus laetificat civitatem Dei (Ps. XLV, 4). Et in alio loco: Fluvius Dei repletus est aquis (Ps. LXIV, 10); ille videlicet, qui loquitur per Jeremiam: Me dereliquerunt fontem aquae vivae (Jer. II. 13). Hoc autem tunc fiet, cum interfecti fuerint, sive perierint plurimi: Multi enim vocati, pauci vero electi (Matt. XX). Et cum ceciderint turres, sive daemonum potestates, sive superbi quique et arrogantes et magni in isto saeculo; de quibus et in psalmis dicitur: Vidi impium elevatum, et exaltatum sicut cedros Libani, et transivi, et ecce non erat, quaesivi eum, et non est inventus locus ejus (Ps. XXXVI, 35, 36). Has turres aedificare cupiebant (Genes. XII), qui moverunt pedes suos de Oriente, quorum linguae in Babylone confusae sunt, et illi, super quos cecidit turris Siloae (Luc. XIII).

## (Vers. 26.)

Et erit lux lunae, sicut lux solis, et lumen solis erit septuplum sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagae ejus sanaverit.

LXX: Et erit lumen lunae, sicut lumen solis, et lumen solis septuplum, in die quando sanaverit Dominus

contritionem populi sui, et dolorem plagae tuae curaverit. Miror quomodo in praesenti loco verba Hebraica LABANA, et HAMMA, quae Aquila interpretatur albam et calorem, per quae lunam solemque significat supra idem LXX laterem et murum transtulerint, in eo loco ubi scriptum est: Et erubescet luna, et sol confundetur. Pro quo illi interpretati sunt, liquefient lateres, et ruet murus, et nunc idem sequentes Hebraicum, lunam solemque transtulerint. Unde mihi datur suspicio, non eos errasse a principio, sed paulatim scriptorum vitio depravatos. Neque enim fieri potest, ut qui in hoc loco eadem verba bene interpretati sunt, in superioribus erraverint. In die ergo interfectionis multorum, cum arrogantes superbique corruerint, et qui posuerunt in coelum os suum, didicerint esse se terram, erit lumen lunae, sicut lumen solis: quando dederit Dominus coelum novum, et terram novam, et transierit habitus mundi hujus, ut luna et sol laboris et cursus sui praemia consequantur. Etenim expectatio creaturae revelationem filiorum Dei praestolatur: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei (Rom., VIII, 19): licet ea quidem organa lucis intelligentes, insensibilia esse contendant. Luna ergo solis fulgorem accipiet. Nec mirum hoc de clarissimo sentire elemento, cui principatus noctis est traditus, cum de sanctis quoque scriptum sit: Fulgebunt justi quasi sol (Matth. XIII, 43). Et sol septuplum lumen accipiet: sicut fuit lux septem dierum, quando ab initio creatus est mundus (quamquam septem dies, Septuaginta non transtulerint) quando Dominus alligaverit vulnus populi sui, sive sanaverit contritionem populi sui: quando implebitur illud quod scriptum est: Fugiet dolor, et moeror, et gemitus (Isa. XXXV, 10): quando subintrante plenitudine gentium, salvus fiet omnis Israel; aut certe quando ultio eorum venerit, quorum sub altari clamant animae: Usquequo non ulcisceris sanguinem nostrum de his qui habitant in terra (Apoc. VI, 19)? Et hoc considera quod non dixerit, quando sanaverit contritionem populi sui Israel, sive Jacob; sed absolute,

populi sui, ut omnes Deo significet servientes. Quidam locum istum et omnia quae in hoc repromissionum capitulo continentur, ad coelestem referunt Jerusalem, et ad reversionem populi ejus, quando implebitur illud quod scriptum est: Coelum et terra pertransibunt (Matth. XXIV, 35). Alii ad Eliae tempora, et ipsum dicunt esse, de quo supra scriptum est: Erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum et aures tuae audient verbum post tergum monentis: tunc de montibus et collibus, juxta fabulas poetarum, et Saturni aureum saeculum lactis rivos fluere, et de arborum foliis stillare mella purissima. Quae qui recipiunt, mille quoque annorum fabulam, et terrenum Salvatoris imperium Judaico errore suscipient, non intelligentes Apocalypsim Joannis in superficie litterae, medullata Ecclesiae sacramenta contexere.

>>Sequitur Pars 3>>